
161

160
L
17

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
L
17
NAPOLI



Digitized by Google

I. 3. 27.

R. MOSIS MAIMONIDÆ

TRACTATUS

SCHEKALIM

SIVE

DE

CENS VETERIS,

IN LATINAM LINGUAM
VERSUS NOTISQUE ILLU-
STRATUS

A

MARCO WÖLDIKE.

HAFNIÆ & LIPSIÆ,
APUD VIDUAM B. H. C. PAULLI.
M DCC XXXIV.

BENEVOLE LECTOR!

CUm rogatu Bibliopolæ typis iterum ſubjiciam junctim exercitationes meas in Maimonidem de cibis vetitis, ante hos duodecim annos loco diſſertationum Academicarum edi cœptas, pauca de materia hujus ſcripti & tractatione mea videntur mihi eſſe præfanda. Autor in Republica literaria adeo celebris eſt, ut lau-

dibus, quas propter ingentia in ſtudium legum Ebræarum & Theologiæ hermeneuticæ merita paſſim in eum conferunt eruditi, nihil amplius addi poſſit. Exiſtimavi itaque e re Eccleſiæ eſſe, ut cum nihil hactenus perfectum & accuratum latine ſcriptum eſſet de legibus ſummopere memorabilibus, quibus nonnulli cibi prohibentur populo Iſraelitico, potius in linguam latinam transferrem, quæ ille accurate, ut quæcunque de ritibus edidit, ſcripſerat, quam ut ipſe de eis commentarer. Ne idem forte mihi eveniret, quod multis viris eruditis eveniſſe in notis noſtris deprehendes, ut ullibi verbis Legum Moſaicarum

carum illum tribuere auderem ſenſum, quem ingenium monſtraret ea poſſe habere, ſed eum tantum, cui populus Iſraeliticus obedire laboravit. Tractationem ſuam de cibis vetitis eodem ordine autor noſter proponit, ac ſolet de reliquis gentis Ebraicæ ritibus ſcribere. Nimirum proponit viginti octo illa edicta divina, quæ de cibis vetitis agunt, eaque ſingula accurate explicat ſubjungens ſingulis illa ſapientum Ebræorum mandata, quibus illi Legem Divinam tanquam ſepe munire ſolebant, ne quis temere divina præcepta negligeret vel interdicta violaret. In verſione operam dedi, ut quam accuratiſſime

ſenſum Autoris exprimerem, qua de cauſa fieri non potuit, ut dictio ubique ſatis eſſet latina: nec id enim ſpectare decet interpretem, ut quam ipſe ſit eloquens doceat, ſed ut lector ſenſum auctoris recte percipiat: unde etiam multæ voces, quæ in lexicis non obviæ, vel non eo, quo hic uſurpantur, ſenſu expoſitæ, in hac noſtra verſione vel notis ita illuſtratæ ſunt, ut lexicis inſeri eaque ſupplere aliquomodo poſſint. Illud unum doleo, quod adeo anguſtis terminis tempus meum continuæ occupationes circumſcribant, ut nequidem ſuppetat mihi tantillum, quantum ad recognoſcendum hoc ſcriptum & forte quædam emen-

mendanda foret neceſſarium. Si quos itaque deprehenderis meos errores, quos ſpero non fore extantes, ignoſce, qua ſoles plerisque Maimonidæ interpretibus, benevolentia. Cæterum

Divinæ illæ Leges, quibus præcepta eſt Iſraelitis abſtinentia a certis quibusdam cibis, adeo ſunt ſublimis & reconditæ rationis, ut in diverſas admodum ſententias iverint interpretes inveſtigaturi cauſas, cur Deus Creator omnium quædam animalia & quosdam cibos menſis Iſraelitarum indulſerit, aliis vero iis interdixerit. Octo omnino diverſas opiniones Spencerus de legibus Ebr. rit. lib. 1. cap. 5.

Sect. I. refutat, quibus ſuam Sect. II. ſubjungit: in cujus quidem expoſitione multa ſunt erudita & elegantia, ſed cenſuram duriorem meretur argumentum quintum, quo utitur, nimirum *Deum legem de ciborum diſcrimine tuliſſe, reſpectu aliquo habito ad Gentium antiquiorum conſuetudinem Ægyptiorum moribus confirmatam.* Itemque paulo poſt: *Compertum eſt Hebræos & Ægyptios eodem conſilio ciborum & animalium diſtinctionem obſervaſſe.* & quæ ſequuntur. Itane vero ſapientiæ omnis fons & autor Deus ex moribus & legibus ſuperſtitioſis & ridiculis Ægyptiorum hominum ſaperet? τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένε

XI. v. 34. Ægyptii ſuperſtitione ducti certorum animalium eſu abſtinebant ut ſacrorum. Ea enim ut plurimum animalia cenſebant eſſe ſancta, quæ vitæ humanæ alium quendam uſum præſtarent, ut bovem, quia aratro inſervit, & vaccam, quod lac præbeat, ovem & capram, quod lac, lanam, piloſque uſibus humanis ſubminiſtrarent. Admiratio harum rerum vitæ neceſſariarum ſuperſtitionem peperit, quæ Mnevin, Apim, hircum Mendeſium aliaque Deorum monſtra conſecravit. Nec intra illos cancellos ſubſtitit religioſa vanitas, ſed ejusdem ſpeciei animalia omnia venerari cœperunt, unde originem

cepit illa notiſſima Ægyptiorum πολυθεότης. Porro contumelia inſigni Deum ſuum videbatur is afficere, qui devoraret. Idem in aliis gentibus eſt manifeſtum; Sic provida illa cura *ne violent timidi piſcibus ora Syri*, inde pullulavit, quia ἰχθύας χρῆμα ἱερὸν νομίζουσι καὶ οὔκοτε ἰχθύων ψάυονται; *Piſces rem ſanctam exiſtimant, idcirco piſces tangere illis religio eſt.* περιστερὴν οὐ σιτέονται ἀλλὰ σφισὶ ἥδε ἱερή. *Columba veſci nefas eſt, quia eam ut ſanctam venerantur*. Lucian. de Dea Syria. p. m. 697. At Iſraelitæ tantum abeſt, ut honore ullo rês vetitas colerent, ut eas potius velut immundas abominarentur. Et ut illud prætercam, quod non per totam

tam Ægyptum iisdem animalibus, ſuperſtitioni dedita gens abſtinuerit, quod ex Herodoto manifeſtum eſt, capras, oves, bovesque mactare Niliaco populo nefas habebatur, quibus tantum abeſt, ut contaminari ſe crederent Iſraelitæ, ut potius ex domeſticis brutis hæc ſola eſui apta exiſtimaverit divina ſapientia. Minime ergo *eodem conſilio ciborum & animalium diſtinctionem Ebræi & Ægyptii obſervarunt.* Hi enim ἐσεβάσθησαν ϗ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα Rom. I. 25. id vero conſilium Dei eſſe non poterat in imperanda illis abſtinentia, quod inprimis inde patet, quia Deus ut hanc faceret tanto minus difficilem, ani-

mali-

malium interdicto quendam horrorem adjunxit, non ſancta ſed immunda ea pronuncians. Refellit Spencerus ſententiam Hug. Grotii, qui exiſtimat hæc interdicta *habere cauſas naturales ex bono vel malo nutrimento* ad Lev. XI. Itemque *Simonis de Muis* opinionem var. ſacr. in Exod. 22. quod hi cibi mediate animam polluant, quam ante eum fovit etiam *Levi ben Gerſom*, qui gnarus ad eos hominem impetu proclivi ferri affectus, ad quos humor prædominans eum abripit, mentis integritati conſuluiſſe Deum credit, ne vitioſis humoribus in corpore natis ad peccata pronam haberet gentem ſed animo juxta & cor-

corpore temperatam: Quas equidem ſententias non approbo, ſed non ea de cauſa quam affert Spencerus, nimirum quod indignum ſit majeſtate divina *vitam & valetudinem vulgarium Judæorum curare.* quod enim id majeſtate divina non indignum ſit, plurimæ leges de lepra aliisque morbis, & inprimis ea, quam vel etiam circa capillos capitis noſtri, & gramina campi exercet, providentia, palam facit; ſed quod inter cibos vetitos quidam licet pauciſſimi ſunt, qui ſuccos ſalubres habent, quod Spencerus etiam obſervat, & quod in N. T. quibuslibet licet cibis veſci, quod ſi ob rationes a Grotio & Muiſio allatas fu-

iſſent

iſſent in V. T. prohibiti, permitti minime potuiſſet, ſed duraturum fuiſſet interdictum, quamdiu duraret cauſa. Mihi inprimis illud effatum *Talmudicorum*, ut in omnibus legibus Divinis *poſitivis*, quibus Deus mandati vel interdicti cauſam expreſſam addere non voluit, ita in hoc quoque de cibis vetitis maxime arridet. *Judicia ſunt ea, in quibus invenit adverſarius quod objiciat, ut ſunt comeſtio porcinæ, veſtitus ex lana linoque compoſitus, excalceatio gloris, mundatio leproſi, de quibus cave dixeris inania ea eſſe, ſed reſponde ſufficere pro omnibus hanc rationem: Ego ſum JEHOVA, Ego Jehova præcepi illud: nec Tuum*

eſt

eſt ſciola curioſitate in cauſas ejus inquirere. Joma fol. 67. *pag.* 6. Non quod cauſis hæc præcepta careant. Maimon. More Nevoch. P. III. c. 31. ſqq. Sed quia ſumma eſt Dei ſapientia, ſummaque eſt noſtra ſtoliditas. Sufficere poteſt nobis una illa ratio inſtar omnium pro omnibus præceptis poſitivis, quod bonas ſapienter & utiliter latas oporteat eas eſſe, cum Deus eas tulerit, & quaſcunque demum afferremus rationes, eæ tantum forent probabiles, cum forte longe alias nobis incognitas habuerit legiſlator. Intereſt ſubditorum bonis & utilibus legibus regi, ſed cauſas cur hæ vel illæ, hoc vel illo modo latæ ſint leges

ges noſſe ſubditorum non intereſt. Eleganter *Maimonides noſter* docens quod non minor obedientia præceptis Dei quam judiciis ſit exhibenda: *Judicia*, inquit, *ſunt, quorum aperta eſt ratio, & quorum obſervationem patet etiam in hac vita utilem eſſe, cujusmodi ſunt quæ ſanciuntur de rapto, cæde, pietate erga Parentes: Præcepta autem ſunt, quorum non eſt cognita ratio: Etenim de his ſapientes Deum faciunt ita loquentem; præcepta præcepi tibi, quæ non licet cogitando excutias & ſcruteris: Verum enim his agitatur animus & repugnant gentes; talia ſunt, quæ ſanciuntur de ſuina, de carne lacte condita, de vitula percuſſa,*

cuſſa, de vacca rufa, de hirco emiſſario. Meila. c. 8. hal. 8. Eadem eſt procul dubio Juſtini Martyris ſententia de hiſce interdictis, quod nimirum poſitiva ſint, quorum Autorem noſſe ſtet pro ratione utilitatis & neceſſitatis, καὶ γὰρ βρωμάτων τινῶν ἀπέχεσθαι προσέταξεν ὑμῖν ἵνα καὶ ἐν τῷ ἐσθίειν καὶ πίνειν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχητε τὸν Θεόν. *etenim & a quibusdam cibis vos abſtinere juſſit, ut etiam inter edendum & bibendum ante oculos habeatis Deum. Dial. cum Tryph. p. 237. conf. p. 265.* Sed tanta eſt clementiſſimi Dei bonitas, ut curioſitatem noſtram in indagandis legum ſuarum cauſis non oderit, modo ipſo dignæ ſint, & abſtineamus ab ea confidentia ut putemus, non alias Deum potuiſſe habere rationes quam quæ nobis videntur. Exiſtimo itaque fontem harum Legum commode poſſe inveniri in analogia interdicti

)()(con-

conjugiorum cum gentilibus, cujus cauſam ipſe Deus exponit: *Ne fœdus percutias cum incolis terræ, ne illi amore meretricio proſequentes ſuos Deos iisque ſacrificantes te invitent comedasque de cujusquam idolothytis: & accipias de filiabus ejus uxores tuis filiis, ejusque filiæ amore meretricio proſequentes deos ſuos, tuos filios pelliciant ut ſimili amore meretricio ſuos deos conſectentur. Ex. XXXIV.* 15. 16. Quam pronum iter per convivia ad libidines, per libidinem ad idololatriam ſit, triſte exemplum populi Iſraelitici a Midianitidibus ſeducti docet. Num. XXV. 1. 2. nec non infelix Salomonis polygamia. 1 Reg. XI. 4. Quod ſimilis aliqua ſit ratio interdicti de cibis colligere poſſumus ex Lev. XX. 24. 25. *Ego Dominus Deus veſter diſtinxi vos a populis & vos diſtinguetis pecu-*

dem

dem mundam ab immunda & avem immundam a munda &c. Solent videlicet mortales eorum mores ſequi, quorum conſuetudine utuntur; Sed in convictu menſaque communi naſcitur & augetur plurimum familiaritas. Fruendos ergo dedit Iſraelitis Deus boves, oves, capras, ut ab eorum conſortio abhorrerent Ægyptii, nec ſuperſtitionum contagio gentem Deo dicatam læderent. Aliis cibis uti vetuit ut ipſi Arabum, Sabæorum, Syrorum & Chaldæorum menſas & ſacrificia vitando, mores quoque & impietatem vitarent, quod docte probat Maimonides noſter *More Nevochim* P. III. c. 48. & alibi. Quanto autem horrore Ægyptii deteſtati ſint carne pecudum veſcentes, & ex Scriptura patet Gen. XLVI. 34. & ex Herodoto: ὔτ᾽ ἀνὴρ Αἰγύπτιος, ὔτε γυνὴ ἄνδρα ἕλληνα φιλήσειε ἐν τῷ ϛόματι, ὐδὲ μα-

χαίρῃ ἀνδρὸς ἕλληνος χρήσεται οὐδ᾽ ὀβελοῖσι οὐδὲ λέβητι, οὐδὲ κρέως καθαροῦ βοὸς διατετμημένου ἑλληνικῇ μαχαίρῃ γεύσεται. *Nemo Ægyptius Ægyptiave Græci viri aut os ſuaviaretur, aut cultro vel veru vel olla illius uteretur, aut pura bovis carne Græco cultro inciſa veſceretur.* (quia videlicet a carne vaccarum abſtinent Ægyptii qua veſcuntur Graji) l. II. c. 41. Ad hos fines obtinendum, eos prohibuiſſe cibos quos prohibuit Deus, ſufficiebat: Unde pauci admodum inter vetitos locum habent cibi, qui in Europa cenſeantur ſucci ſalubris, plerique cum iis conveniunt a quibus nos etiam ſine Lege abſtinemus, quos etiam convenire probabile eſt cum iis qui Gen. VII. 2. memorantur. Pulchræ ſunt quidem & jucundæ illæ allegoriæ, quibus Philo Judæus, S. Barnabas, plerique Patres, nec non Novatianus hæreticus in libro *de cibis judai-*

ci

cis, ideo prohibitum eſſe putarunt eſum quorundam animalium, ut ſub eorum ſymbolis vitia etiam quædam prohiberi Iſraelitæ intelligerent. Sed quam debili fundamento nitantur illæ allegoriæ facile patet: Si propter ſpurcitiem prohibetur porci eſus, qui poteſt permitti melanuri, longe magis ſordibus dediti? Si quædam animalia propter voracitatem & injuſtitiam a menſis Judæorum arcentur, longe major erat ratio abſtinendi a lucio piſce, quam a leone vel aquila. Nec enim vel aquilas aquilæ vorant vel leoninis carnibus leones veſcuntur, ſed nullum eſt carnium genus quo abſtineat lucius, ne propriæ quidem ſuæ ſpeciei parcens. Nihil jam ſupereſt amplius quam ut nomina eorum adjungam qui in hiſce exercitationibus Defendentium ſpartam ornarunt.

runt. Fuerunt autem illi Viri Reverendi & Clariſſimi

M. JOHANNES SVANINGIUS nunc Scholæ Nyburgenſis Rector.

M. JOHANNES REHLING Paſtor Eccl. Drejoënſis.

ULRICUS SCHNELL Phil. Bacc.

HENRICUS VASSARD Phil. Bacc.

JOHANNES SIDELMANN Phil. Bacc.

Vale B. L. meisque conatibus fave. Scribebam Havniæ Tertio Non. Mart. A. M DCC XXXIV.

INDEX CAPITUM.

Cap. I. Signa pecudum, ſerarum, avium, locuſtarum & piſcium.

Cap. II. Reatus ejus qui comedit de immunda pecude, fera, & ave, carne humana & quocunque reptili.

Cap. III. De cibo ex vetito animali nato, lacte, melle, caſeo, ovis, muria, butyro &c.

Cap. IV. De cadavere, diſcerpto, conjunctione vetitorum, bove lapidato.

Cap. V. De membro animalis vivi, & fœtus nondum nati.

Cap. VI. De ſanguine.

Cap. VII. De Adipe.

Cap. IIX. De nervo reſoluto ſeu luxato.

Cap. IX. De carne in lacte.

Cap. X. De fructibus vetitis.

Cap. XI. CONSTITUTIONES DE VINO LIBAMINIS (IDOLORUM.)

INDEX CAPITUM.

Cap. XII. De contactu Ethnici quo vetitum fit vinum Judæorum.

Cap. XIII. De vino Iſraelitico quod Ethnicus quocunque modo habuit in ſua poteſtate, deque uſu non capiendo ex vino vetito.

Cap. XIV. De menſuris ciborum vetitorum, de comeſtione ſine fruitione ſaporis, de pica & bulimia, de interdictis variis quæ inter ſe conjunguntur.

Cap. XV. De re vetita cibo licito vel ejusdem vel alius ſpeciei immixta.

Cap. XVI. De iis rebus, quæ in quacunque quantitate alii rei miſcentur, eam faciunt vetitam.

Cap. XVII. De ollis & vaſis gentilium.

וכלהת

Q. D. B. V.

הלכות
מאכלות אסורות

CONSTITUTIONES DE CIBIS VETITIS.

Viginti octo ſunt omnino edicta divina, (quæ de cibis vetitis agunt:) Quatuor videlicet præcepta; interdicta vero quatuor & viginti. Singulorum hæc eſt recenſio:

1. Ut ſcrutemur ſigna pecudis & feræ, quibus munda ab immunda diſcernitur. 2. Ut inveſtigentur ſigna, quæ mundam volucrem ab immunda diſtinguunt. 3. Ut inquiran-

tur ſigna, quibus locuſta munda ab immunda internoſcitur. 4. Ut indagentur ſigna, quibus piſces mundi ab immundis differunt. 5. Ne comedatur beſtia aut fera immunda. 6. Ne comedatur avis immunda. 7. Ne comedantur piſces immundi. 8. Ne comedatur reptile volans. 9. Ne comedatur reptile terreſtre. 10. Ne comedatur gradiens animalculum terreſtre. 11. Ne comedatur vermiculus fructuum, poſtquam in auras prodiit. 12. Ne comedatur reptile aquaticum. 13. Ne comedatur cadaver. 14. Ne percipiatur uſus ullus ex bove lapidibus obruto. 15. Ne comedatur diſcerptum. 16. Ne comedatur membrum viventis. 17. Ne comedatur ſanguis. 18. Ne comedatur adeps pecudis mundæ. 19. Ne comedatur nervus luxatus. 20. Ne comedatur caro in lacte. 21. Ne coquatur (*caro in lacte.*) 22. Ne comedatur

datur panis proventus novi. 23. Ne comedatur ſpica toſta proventus novi. 24. Ne comedatur ſpica recens nova. 25. Ne comedatur præputiatæ arboris fructus. 26. Ne comedantur heterogenea vineæ. 27. Ne comedantur fructus, quorum decimæ nondum perſolutæ ſunt, licet jam ablatæ ſint primitiæ. 28. Ne bibatur vinum libaminis.

CAPUT I.

Signa pecudum, ferarum, avium, locuſtarum & piſcium.

PRæceptum extat, quo jubemur noſſe ſigna diſtinguentia * pecudes, feras, aves, piſces, locuſtasque, quibus veſci

A 2

* *Pecudes.* Beſtiæ nomen בהמה in ſacris omni bruto commune eſt. *Gen.* VI, 8. VII, 2. & vocabulum חיה omne notat animal *c.* VIII, 19. Ubi tamen ambo conjunguntur, vel ubi diſtinctione aliqua opus eſt, prius beſtiam domeſticam, poſterius feram ſignificat. *Sic Gen.* IIX, 1. &c. *Lev.* XVII, 13. quod in voce בהמה cum ſuffixis adhibita perpetuum eſt; Ergo non ſine autoritate ſcripturæ S. ad diſcernendum feras a pecudibus, a Judæis eodem modo hæ voces adhibentur.

veſci licet, ab iis, quas comedere prohibemur. Dicitur enim (*Lev.* XX, 25.): *Et diſtinguetis beſtiam mundam ab immunda, & avem immundam a munda.* Porro dicitur (*Lev.* XI, 47.): *Ad diſtinguendum immundum a mundo, & animal quod comeditur, ab animali quod non comeditur.*

II. Signa pecudis & feræ in Lege exponuntur duo, videlicet ea munda eſt, quæ *diviſas habet ungulas, & paſtum ad rumen

* *Diviſas ungulas.* Vocabula מפרסת פרסה & Chriſtianorum & Judæorum interpretum plerique vertunt: *Diviſas habens ungulas*, quam hic quoque expoſitionem, ne ab Autoris noſtri ſenſu abeam, retinere cogor. Melius fortaſſe *R. Levi ben Gerſom: Comment. in Pentat. f.* 134. *c.* 3. ר"ל במפרסת פרסה שלא יהיו לו אצבעות וצפורנים כמו הכלב והחתול והדומה להם ולהרחק בעלי הפרסה העגולה כמו החמור והסוס אמר ושוסעת שסע פרסות ר"ל שתהיינה ברגל אחד שתי פרסות כמו הענין בבקר ובצון: *Verbis*, inquit, *bis* מפרסת פרסה *indicare vult, quod non inſtructa eſſe debeat* (beſtia eſui conceſſa) *digitis & unguibus, velut canis & felis, hisque ſimilia. Ut vero removeat ungulis rotundis prædita animalia v. c. aſinum & equum, addit* ושוסעת שסע פרסות *& diviſas habens fiſſura ungulas, i. e. ut ſint ei in pedibus ſingulis geminæ ungulæ, velut res habet in bobus & pecore.* Eodem enim modo à plerisque vel omnibus eadem vox מפריס *Pſ.* LXIX, 32. expli-

men revocat, ſiquidem ambo hæc adfuerint. Quæcunque pecus vel fera ruminat paſtum,

explicatur: *Reſpiciunt*, inquit *Kimchi ad h. l.* voces מקרין ומפריס *juvencum, qui cornibus inſtructus eſt, durasque habet ungulas. Ante enim quam enaſcuntur cornua, molles ſunt ungulæ.* Porro ſi in Moſe vulgaris expoſitio retinenda foret, manifeſtam haberemus contradictionem, voces מפרסת פרסה ושסע איננו שוסעת *Lev.* XI, 26. vertendo: *ungulas diviſas habens, ſed nulla fiſſura diſtinctas.* Quid foret verbi, ſi v. 4. 5. 6. diceretur: *Camelus, lepus, cuniculus, non habent diviſas ungulas?* Nam diſtinctos minimum ungues habent. Melius ex mente *R. Levi: Ungulas omnino non habent*, ſed digitos & ungues, & v. 26. *Animal quod ungulas quidem habet, ſed nulla fiſſura diſtinctas*, cuiusmodi ſunt equus, aſinus &c. Cum enim in themate jam demonſtrata ſit ſignificatio habendi vel producendi ungulas, unde nomen deductum ſortietur ſenſum diviſæ ungulæ, & non ſimplicem potius ungulæ? Fruſtra igitur aſſerit *Abrabbanel* aliique, quod פרסה ſit לשון חתוך *vocabulum inciſionem devotans*, nixus dicto: *Jeſ.* LVIII, 7. פרס לרעב לחמך Non enim poteſt hoc loco indubie evinci ſignificatio frangendi aut ſecandi, cum non minus apte locus exponi poſſit: *Donare famelico panem tuum*: parique modo *Jerem.* XVI, 7. Donandi enim ſignificationem in verbo requiri poſſe, nomen nudum in celeberrimo *Antigoni Sochæi* Apophthegmate indicat. Novi equidem quod per ἐπεξήγησιν geminari aſſerant dividendi ſenſum *Abarbanel*, *Selomo ben Melech* aliique *in Comment. ad Lev.* XI. ut doceamur *a ſummo ad imum bifidos pedes intelligi*: vel ut eſt *in Michlal Jophi*: שפרסותיה סדוקות

paſtum, illius os malarum ſuperius * dentibus deſtituitur. Quæcunque pecus vel fera ruminat paſtum, ea etiam ungulas diviſas habet, præter camelum. Et quæcunque beſtia diviſas habet ungulas, ea paſtum quoque ruminat, excepto porco.

III. Idcirco ſi quis beſtiam ſibi ignotam in deſerto agro invenerit, quæ ob ungularum detruncationem, (*altero tantum ſigno agnoſci poteſt,*) rictum ejus conſulat; quodſi

סרוקות למטה כמו מלמעלה כי יש בהמה שפרסותיה סרוקות מלמעלה ומלמטה דבוקות וכו *Dantur bruta, quorum ungulæ ſuperne diviſæ ſunt, infra autem concretæ,* quo refert animalia πολυσχιδῆ, ut: *Urſum, canem, felem* &c. imo & *camelum;* ſed manifeſtum eſt horum animalium digitos non totos unguibus tegi, nedum ungues inferne concretos eſſe, ſed totos a ſe invicem diſtingui. Itaque neutrum de illis vocabulum adhibet Scriptura S. ſed negans illa eſſe מפריסי פרסה ungulata, quodlibet ejusmodi animal vocat הולך על כפיו *ingrediens plantis ſuis.* Imo ipſius etiam cameli digiti, infra quidem pellicula juncti ſunt, ſed ungues, digitorum etiam inferiorum partem tegere, aut illic ſolidos eſſe, continuoque cornu nexos, quod requirebat virorum doctorum expoſitio, neminem puto eſſe affirmaturum. *R. Saadias* quoque in *Paraphraſi Arabica* habet: *Omne habens ungulam, & cujus ungula eſt diviſione diviſa.*

* *Dentibus deſtituitur.* Excipiendi hoc loco ſunt cuniculi & lepores.

quodſi eum agnoverit * ſuperiore dentium ordine deſtitui, certo colligat licet, eam eſſe mundam, ſiquidem ipſe camelum noverit; Si beſtiam quis invenerit rictu truncatam, ungulas ejus inſpiciat oportet, quas ſi repererit diviſas, mundum eſſe cenſet animal, ſiquidem ipſe porcum noverit. Si vero & ore & pedibus mutilam invenerit, eam mactare licet, mactatæ autem conſulenda ſunt latera ſpinæ dorſi. Illic ſi carnem ejus invenerit in morem ** ſtaminis & tramæ procedentem, munda eſt, modo ipſe (*inquirens*) onagrum noverit. Hujus enim caro etiam ſtaminis tramæque figuram refert.

IV. Si qua beſtia munda partu enixa fuerit fœtum ſimilem ſpeciei cuidam beſtiæ immundæ, quamvis nec diviſas habeat ungulas, nec paſtum ruminet, ſed omnino forma referat equum vel aſinum,

 ecce

* *Dentibus ſuperioribus deſtitutum.* Uſos fuiſſe eodem ſigno animalium veſcorum Sabæos, docet *Hotting. Hiſt. Orient. l.* 1. *c.* 8. Cæterum tota hæc periodus deſumta eſt ex *Gemara Chullin* c. 3. ubi hæc ſententia à R. Chasda proponitur.

** *Staminis & tramæ.* Decuſſationem dentium in muſculis dorſi ſerratis, ab Autore intelligi reor, quæ num ſolis competat animalibus mundis, omnibusque, Anatomiæ periti judicent.

ecce illo veſci licet. Hæc dicta ſunt de ea, quæ in conſpectu poſſeſſoris peperit; Si vero ille ſordam reliquit in bubili ſuo parturientem, reverſusque invenerit fœtum, qui ſpecie referat porcum, pone eam jacentem, quamvis ille ejus ubera ſugat, dubius tamen fœtus eſt & eſui interdictus. Verendum enim eſt, ne forte ex immundo animali pone mundum editus, illic fuerit relictus.

V. Si beſtia immunda fœtum fuerit enixa, *qui ſpecie referat beſtiam mundam, quamvis ille & diſtinctas habeat ungulas & paſtum ruminet, ſpecieque omnino vel bovem vel pecus ſiſtat, veſci tamen eo minime licet. Proles enim animalis immundi. immunda eſt, mundi munda. Idcirco immundus piſcis, in mundi inteſtinis repertus, inter vetitos habetur. Mundus in ventre immundi inventus, licite comeditur. Non enim fœtus eſt immundi, ſed major eum deglutivit.

VI. Si quis fœtus vel editus fuerit, vel in viſceribus beſtiæ inventus, ** duplici dorſo, geminaque dorſi ſpina monſtroſus, veſci

*Conf. R. *Moſes Kotzenſis interd.* 132.

** *Duplici dorſo.* Imo nec infans ita monſtroſus cenſetur eſſe legitimus, *Nidda f.* 24. *c.* 1.

veſci illo non licet. Hoc enim eſt *biſidum* illud, quod in Lege prohibetur, his verbis: (*Deut.* XIV, 7.) *Hoc non comedetis ex ruminantibus paſtum & diviſam habentibus ungulam: biſidum;* quaſi diceret; fœtum, qui naſcitur diviſus in duas beſtias.

VII. Sic etiam invento in beſtia fœtu, qui ſpecie referat avem quantumvis mundam, veſci non licet. Quicquid in beſtia invenitur, id omne niſi ungulis inſtructum fuerit, vetitum eſt.

IIX. Ex omnibus beſtiarum ferarumque quas educat orbis ſpeciebus, nonniſi decem noſtris ſummus Legislator menſis impertivit. Has nominatim Lex enumerat, (*Deut.* XIV, 4, 5.) tres videlicet pecudum ſpecies, quæ ſunt: *Bos*, *ovis*, *capra.* Septem ferarum ſpecies, quæ ſunt: *Cervus*, *caprea*, *bonaſus*, *dama*, *tragelaphus*, *dorcas & rupicapra.* His animalibus veſci licet cum cognatis cuique ſpeciebus: Sic urus & biſon ad ſpeciem bovis pertinent. Sed decem hæ ſpecies omnes, cum cognatis, & inferioribus, diviſas habent ungulas, paſtumque ruminant. Idcirco quisquis eas novit, ei non opus eſt, qualibet vice earum ungulas rictumque inſpicere.

IX. Quamvis autem his ſpeciebus omnibus veſci liceat; obſervandum tamen eſt diſcrimen domeſticæ beſtiæ mundæ feræque mundæ. Feræ enim * adipe veſci licet; ejusque ** ſanguis requirit ut obtegatur. Adeps autem pecudis mundæ ſub pœna excidii vetitus eſt, nec ſanguis ejus requirit ut (*pulvere*) tegatur.

X. Signa ferarum quæ audiendo accepimus, iſta ſunt: Quæcunque ſpecies diviſas habet ungulas, paſtum ruminat, cornibusque inſtructa eſt duobus ramoſis quemadmodum cervus, ecce illa omnium confeſſione eſt fera munda. Imo omnis ſpecies cujus quidem cornua ramoſa non ſunt, modo ſint teretia, ut ſunt cornua bovis, & inciſuris notata, ſi vel abſorpta fuerit

* *Feræ adipe veſci licet;* Quia videlicet fera nulla immolari poteſt, ſed ille adeps prohibetur, qui poteſt fieri Jehovæ per oblationem. *Lev.* III, 16. 17.

** *Sanguis requirit ut obtegatur.* Præceptum de tegendo ferarum aviumque ſanguine, extat *Lev.* XVII, 13. Quod ad cicures etiam cortis aves extendunt Judæi. Solent autem ſubſternere effundendo ſanguini pulverem, & effuſo injicere, cum ſolenni benedictione: Ritus omnes enarrat *Majmon. Schechita c.* 14. Confer *Chullin c. 6. integro, Wagenſeil in Sota* qui ex Ez Hechaijim eosdem recenſet *p.* 391. *&* 1119. Cabbaliſticam hujus tegendi ritus ſignificationem oſtendit *Rittangel. de Ver. Rel. Chriſt. ſect.* 109.

fuerit inciſura eorum, & reducta, ſicut cornua capreoli, ecce hæc eſt fera munda. Et hæc tria tantum ſunt cornuum ſigna, ut ſint teretia, inciſa, vel reducta.

XI. Hæc dicta ſunt de ſpecie (*venanti*) ignota; Si vero quis novit eam, quæ ſibi obtigit, ex ſeptem quæ in Lege enumerantur cenſu eſſe, quamvis inveniat eam cornibus deſtitutam, libere ejus adipe veſcitur, & ſanguinem operire tenetur.

XII. Urus eſt pecudis ſpecies. Et * Monoceros, quamvis non ſit ei niſi unicum cornu, eſt ex genere ferarum. De quocunque autem animali tibi ſuboritur dubium, num ad pecudes an ad feras ſit referendum, ejus adipe abſtinendum eſt, nec tamen ſi quis comedendo deliquerit, vapulat;

* *Monoceros.* Sunt verba *Chullin f.* 59. *col.* 2. Aſſerit equidem *Ariſtoteles Hiſt. Anim. l.* 2. *c.* 1. μονόκερων καὶ διχηλὸν ὄρυξ, *animal unicorne & biſulcum oryx eſt.* Conf. *de Part. Anim. l.* 2. c. 2. unde ſua hauſit *Plin. Hiſt. Natur. l.* XI. *c.* 46. Conſentit cum his *Ælianus c.* 3. *l.* 7. Sed ab iis diſſentire *Aldrovandum* aliosque Zoologos miror, cum illorum ævo notisſimum fuiſſe animal orygem, utpote inter munera matutinarum venationum publice produci ſolitum, pateat ex *xeniis Martialis Epigr.* XCVI.

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus oryx, conſtat quot mihi morte canum?

pulat; tegendus vero eſt ejusmodi animalis cruor.

XIII. Animalis ex heterogeneis miſti, natique ex conſuetudine pecudis mundæ cum fera munda, quod vocant* כוי, adeps vetitus eſt, quamvis hoc interdictum violantes non vapulent. Sanguis autem ejus tegendus eſt. Sed nullam ſpeciem immundam, munda ulla fœcundat.

XIV. Signa avis mundæ in Lege non exponuntur. ** Enumerat autem Lex tantum ſpecies avium immundas, reliquis veſci

*כוי in *Aruch* exponitur: כוי זרע תיש ונולד מן הצביא *Animal eſt ex hirco genitum, ex caprea natum. f.* 111. *p.* 2.

** *Enumerat ſpecies avium immundas.* Cauſam quare has ſpecies Deus enumeraverit, reddunt hanc Talmudici: גלוי וידוע לפני מי שאמר והיה העולם שבהמה טמאה מרובה מן הטהורה לפיכך מנה הכתוב בטהורה: גלוי וידוע לפני מי שאמר והיה העולם שעופות טהורין מרובין על הטמאין לפיכך מנה הכתוב בטמאין: i. e. *Notum & manifeſtum erat illi, cujus juſſu extitit mundus, beſtias immundas plures eſſe mundis, idcirco ſcriptura mundas recenſet. Perſpectiſſimum erat illi, cujus juſſu conditus eſt orbis, aves mundas immundis plures eſſe, propterea recenſet Scriptura immundas.* Hinc elicit R. Huna, dandam ſemper eſſe docenti operam, ut quam maxime fieri poteſt, compendio diſcentes erudiat. *Chullin c.* 3. *f.* 63. *Conf. Alpheſi p.* 248.

veſci permittens. Species itaque vetitæ ſunt viginti quatuor; iſtæ nimirum: 1. Aquila. 2. Oſſifraga. 3. Valeria. 4. Milvus. (hæc eadem eſt avis, * quæ in Deuteronomio

* *Quæ in Deuter. vocatur* ראה. Eadem eſt ſententia *Sam. Bocharti Hieroz. P. II. l. 2. c. 7.* דאה inquit, *vel* ראה *neque enim certum eſt utro modo ſit ſcribendum*, - - *nempe literas* ד *&* ר *librarii ſæpe confundunt*, - - *malim* דאה *ſcribi quam* ראה - - *in Samaritano exemplari tam in Levitico quam in Deuteronomio ſcribitur:* הראה (ࠄࠓࠀࠄ); Sed ſi animadvertiſſent Viri ſummi cognationem vocum דיה in *Deut.* & ראה in *Levitico*, ejusdem ut Thematis, etiam ſignificationis, ſola conjugationis & litterarum affinium alternatione, cui plures Synonymiæ ſuam debent originem, differre, minus prompte lectionis receptæ fidem impugnaſſent. Sed interdicto *Deut.* XIV, 13. inſeritur nominatim, ſpecies una avium ראה *milvus regalis*, qui ſub milvorum genere *Lev.* XI, 14. comprehenditur. Nec tamen aut hic aliquid deeſt, aut illic ſupereſt. Conſentit cum hac expoſitione *R. Abr. Aben-Ezra in Comm. ad Deut.* XIV, 13. דיה וראה תחת דאה *utrumque nomen milvus niger, & milvus regalis, ſtat ſub genere milvi*, (quod utriusque loco habetur *Lev.* XI.) R. Jonam objicientem hac ratione inferri Scripturæ S. pleonaſmum, quaſi quis diceret: Cave leonem & vetulum leonem אריה וליש cum monitus ut leonem caveat, facile intelligat omne leonum genus ſibi eſſe cavendum, refutat *R. Samuel Zarza in Mekor Chaijim ad Deut.* XIV. Pro ſe potuiſſet *Aben Ezra* uſurpare ejusmodi exemplum: Cum dicit Scriptura

mio vocatur ראה c. XIV, 13.) 5. Pica (hæc eadem eſt,* quæ vocatur דיה in Deut. l.c.) 6. Species picæ. (Quia ſcriptum eſt de ea: *ſecundum ſpeciem ſuam*: Regula enim hæc obſervanda eſt, quod ejusmodi locutio duas indicet ſpecies.) 7. Corvus. 8. Sturnus. (Sic enim de corvo dicitur: *Secundum ſpeciem ſuam*, ut in computum eundem referatur etiam ſturnus.) 9. Struthio. ** 10. Hirundo. 11. Æſalon. 12. Accipiter. 13. שרנקא.

ptura abſtinendum eſſe a *corvo*, qui exponit, abſtinendum eſſe a *corvo, cornice* &c. non peccat: nam hic corvus ſpecies eſt; illic genus.

* *Hæc eſt quæ vocatur* דיה *in Deuter.* Non opus erat hoc commento, cum ipſa vox איה *Deut.* XIV, 13. exſtet. De voce דיה ita cenſet *Bochartus l. c.* דיה. *omiſſum in Levitico vel ab ipſo Propheta, cujus cauſam neſcimus, vel a ſcribis poſt Prophetam, quod vero propius eſſe puto.* Demonſtravi autem paulo ante, cur vocem hanc in Levitico Moſes omiſerit, quia videlicet vocem ראה tanquam milvorum genus, pro utraque ſpecie. דיה & ראה adhibere maluit.

** *Struthio.* Struthionem fœminam eſſe יענה credit *Bochartus Hieroz. P.* II. *l.* 2. *c.* 14. ſequens vocabulum תחמס quod præeunte *R. Saadia Gaone* verti *hirundinem*, putat ſignificare ſtruthionem marem. Sed ſpecies avium Lege prohibentur, non ſexus. Nec vetat terminatio fœminina utrumque ſexum hac voce notari. Non enim ipſe vir ſummus ארנבת תנשמת אנפה חסידה de fœminis tantum exponit. Conf. *Abrabb. Comm. in Leg. f.* 242. *col.* 4. *ed. Ven.*

13.* שרנקא qui eſt ſpecies accipitris. 14. Noctua. 15. Mergus. 16. Bubo. 17. Falco. 18. Platea. 19. Vultur. 20. Ciconia. 21. Picus. 22. Species pici, (quia dicitur: *ſecundum ſpeciem ſuam.*) 23. Upupa. 24. Veſpertilio.

XV. Quicunque has ſpecies accurate novit, is quamcunque avem comedit, quæ non eſt de harum numero. Imo avis munda comedi poteſt ex præſcriptione, ſi videlicet eo loco quo quis verſatur, illa ſimpliciter cenſetur munda. Fidem quoque invenit auceps, dicens: Hanc avem permiſit mihi Magiſter meus venari. Hoc ideò fit, quia auceps ille cenſetur peritus eſſe, & gnarus ſpecierum iſtarum, & nomina illarum noſſe.

XVI. Quisquis nec aves ipſas novit, nec earum nomina, is ** ſigna inquirat, quæ tradi-

* שורנקא Accipiter albus eſſe videtur ex Talmudicorum ſententia *Chullin f.* 63. voces הנץ למינהו exponentium: ת״ר הנץ זה הנץ למינהו להביא את בר חיריא מאי בר חיריא אמר אביי שורינקא: Ubi *Autor Aruch* legit בר חוריא.

** *Signa quæ tradiderunt Sapientes.* Cum Moſes enarret reliquorum animalium ſigna; utroque loco *Lev.* XI. & *Deut.* XIV. vetitarum avium nomina, quam

tradiderunt ſapientes: Quæcunque avis conculcans comedit, eam certum eſt, eſſe in

quam mundarum ſigna enarrare maluit. Huic defectui ut occurrerent Miſchnici, ſigna quæ recenſet Autor noſter, conſtituerunt *Chullin c* 3. *n.* 6. Ex quibus licet imperfecta ſint, quod ex ſequentibus patet, argumentum tamen pro Legis oralis præſtantia petere audet *R. Moſes Kotzenſis in præf.* ſui *Sepher Mizvoth Gadol* Nituntur autem hæc ſigna inſtabili fundamento, quod videlicet *adſint palumbis columbisque, quos mundos eſſe manifeſtum eſt, & deſint aquilæ, quæ immundarum avium agmen ducit,* ut loquitur *R. Levi ben Gerſom Comm. in Pentat. f.* 135. *col.* 2. qui ſatis elegantibus cauſis phyſicis oſtendit, ejusmodi aves bene digerere, nec eſſe rapaces. Singulorum non rationem, ſed ſignificationem exponam. Vocis דורס *conculcans* ea mihi præ aliis placet expoſitio, quam habet *Raſchi*: שמניח רגלו במאכל בשעה שהוא אוכל כדי שלא ינוד האוכל ויבא כולו לפניו: *qui imponit pedem ſuum prædæ, quando vorat, ne moveatur eſca, ſed tota in conſpectum ejus veniat.* vel ut *Nachmanides* loquitur שנועץ צפרניו בבעלי חיים. qui ungues infigit animalibus; Quamvis & in hoc, & in *Rabbenu Tam*, qui etiam in *Maggid Miſchne* allegatur *ad h. l.* id mihi diſpliceat, quod viva ab his diſcerpi animalia credant, eoque facto vulturem nihil vivi vorantem cenſu τῶν דורסים excludant. Sequitur tamen ut ſolet hic quoque Nachmanidem *R. Bechaj Comm. ad Lev.* XI. Digitus ſupernumerarius ſ. talus avium ab Ariſtotele commemoratur *Hiſt. Anim. l.* 2. *c.* 12. Γένη δ' ἔνια τῶν ὀρνίθων ἔχει καὶ πλῆκτρον, γαμψώνυχον δὲ ἅμα καὶ πλῆκτρον ἔχον οὐθέν. *Sunt nonnulla ex avibus*

in numero enarratarum avium, & immundam cenſeri. Quæ non conculcans comedit, ecce illa munda habebitur, ſi unum ipſi adfuerit ex tribus hiſce ſignis, quæ ſunt: Digitus ſupernumerarius, aut ingluvies ea quæ vocatur מוראה (*Lev.* I,16.) aut ut interior ingluviei membrana manu detrahi poſſit.

XVII.

---

avibus genera, quibus natura calcar dederit, ſed nulli hoc datum eſt, cujus ungues adunci ſunt. זפק eſt ingluvies avium notisſima: diſtinguenda tamen a כוצרה ſeu ventriculo. *v. Aruch. f* 80. קורקבן נקלף intima eſt ingluviei pellis, quæ manu detrahi poteſt. *v. R. Levi ben Gerſom l.c.* & *R. Levi Barcellonitam ap. Hottinger. Juris Hebr. Lege CLXI.* ubi miror virum doctum vertere: *veſicam gutturis nudam,* cum ex mente autoris ſui dicere deberet: *nudabilem.* Nam nuda ſ. hac membrana carens ingluvies, denotat avem immundam.

Cæterum hæc ſigna quantæ ſint fidei, vel inde patet, quod corvo etiam competat אצבע יתירה וקורקבן נקלף licet ſit דורס, omniaque hæc mundarum avium ſigna habeant osſifraga, & Valeria, ut vertit Bochartus ſ. gryps, ut vocem עזניה interpretatur *R. Saadias*; (quem hoc loco ut ſolet acerbius æquo inſectatur *Aben Ezra.*) Patet hoc partim ex ſequente paragrapho Autoris, partim ex *R. Moſis ben Nachmann Comm. in Lev.* XI. qui tamen falſo duas has aves eandem eſſe credit.

XVII. Propterea quod nulla eſt ex omnibus hisce ſpeciebus quæ non conculcet, ſimulque habeat ullum ex tribus hisce ſignis, præter Oſſifragam & Valeriam. Sed Oſſifraga & Valeria non inveniuntur in orbe habitabili, ſed in deſertis inſularum maris longiſſime remotis, quæ ſunt terminus orbis habitabilis.

XIIX. Si ingluvies deveſtiri quidem poteſt cultro non autem manu ſola, nec alio ſigno avis munda eſſe agnoſci poteſt, quamvis non conculcet, ecce hoc grave eſt dubium. Si alioquin firmiter adhæret cuticula, in loco aprico avis eſt collocanda, quodſi ſanata fuerit, ut detrahi poſſit manu, licita eſt.

XIX. Dixerunt illuſtres Doctores quod traditio inter ſe recepta fuerit, qua nunquam avem ullam permiſſam eſſe ſignificarint, quæ uno tantum ſigno foret inſtructa, niſi illud ſignum foret, quod ingluvies ejus nudari poſſet ſola manu. Se autem ſi ingluvies manu non poſſet deveſtiri, quamvis avi foret veſica ſub gutture, aut digitus abundans, nunquam illam licitam cenſuiſſe.

XX. Quæcunque avis divaricat pedes ſuos,

ſuos, quando coram ea tenditur funiculus, ita ut eum duobus hinc (* *digitis*), duobus illinc apprehendat, & quæ capit in aëre (*volans*) & vorat in aëre, ecce illa eſt conculcans & immunda, & quæcunque cum immundis verſatur, iisque ſimilis eſt, ecce illa eſt immunda.

XXI. Species ** cicadarum quibus veſci permiſit

* *Digitis.* Debeo hanc expoſitionem *R. Obadjæ de Bartenura ad Chullin c.* 3 *m.* 6. ſcribenti: חולק את הגליון כשמעמידו על החוט ונותן שתי אצבעותיו מכאן ושתים מכאן טמא כידוע שהוא דורס: imprimis manifeſta eſt in pico & pſittaco illa divaricatio, ſed hoc indicium in aliis avibus adeo fallax eſt, ut ne ipſis quidem Judæis probetur.

** *Species cicadarum -- ſunt octo.* A cicadis locuſtas differre ex *Ariſtotele* & *Plinio* notisſimum eſt, (quamvis utrumque nomen ſæpe generis vice fungatur,) & ab utrisque diverſos eſſe attelabos patet ex *Theophraſti libello de animalibus*, quem citat *Bochartus Hieroz. P. II. l.* 4 *c.* 2. χαλεποὶ μὲν αἱ ἀκρίδες, χαλεπώτεροι δὲ οἱ ἀττέλαβοι, καὶ τούτων μάλιστα οὓς καλοῦσι βρούκους. *Noxiæ quidem ſunt locuſtæ, difficiliores autem attelabi, & horum maxime quos vocant brucos.* Species qnas recenſet Spiritus S. ita differre traduntur *Chullin c.* 3. ut חרגול habeat גבחת הזנב *Gibbum* (i. e. cruſtam ſ. latiorem teſtam, qua cervices plerarumque cicadarum quæ obviæ ſunt tegi novimus,) *& caudam*; חגב caudam ſine gibbo, סלעם gibbum non vero caudam,

permiſit Lex, ſunt octo, videlicet iſtæ: 1. Cicada cercops. 2. Species cicadæ quæ eſt הרוכנות. 3. Acheta. 4. Species achetæ quæ eſt ערצרניא. 5. Locuſta. 6. Species locuſtæ quæ eſt צפורת כרמים. 7. Attelabus. 8. Species attelabi, quæ eſt יוחנה ירושלמית.

XXII. Quisquis harum ſpecierum nominumque bene peritus fuerit, ille iis (ſine longa ſignorum indagatione) veſcitur. Imo & venatori de iis fides habetur, velut de avibus. Si quis autem minus accuratam (*locuſtarum*) notitiam habet, is ſigna inquirat. Dignoſcuntur autem locuſtæ hiſce tribus notis: Quæcunque locuſta quatuor inſtructa eſt pedibus, & quatuor alis quæ pleramque partem longitudinis & pleramque partem ambitus ejus veſtiant, & præterea * cruribus duobus prædita

ארבה nec gibbum nec caudam. *R. Sclomo* fatetur Judæos hodiernos diſcrimina harum ſpecierum non ſatis accurate noſſe. Veteres tamen octingentas numerarunt inferiores locuſtarum mundarum ſpecies. *Taanith. f.* 22. *c.* 2 De locuſtis & cicadis poſt *Plinium Nat. Hiſt. l.* XI. *c.* 26. *ſqq. Ariſtotelem H. A. l.* V. *c.* 28. *ſqq.* & alios veteres accurate ſcripſit *Jobus Ludolfus Append.* 2 *ad Hiſt. Æthiop.*

* *Cruribus duobus.* Fallitur *R. Obadias Bartenurius Comm. ad Tract. Chullin c.* 3. *m.* 7. incaute nimis

קרי'סו

prædita eſt quibus ſaliat, ecce illa ad mundas ſpecies referenda eſt, quamvis etiam

τὸ קרי ſecutus *Lev.* XI, 21. Cum enim ſecundum τὸ כתיב permittatur earum locuſtarum eſus, *quæ non habent crura* longiora ſ. malleolos *ſuper pedes ſuos*, unde non male colligi poteſt, in licitis locuſtis hæc crura infra reliquos pedes locum ſuum habere; ille intellexit *cui ſunt crura ſuper pedes ſuos*, hinc l. c. ſcribit: קרסולים הם שני רגלים ארוכים לבד הד' והם סמוך לצוארו ממעל לרגליו לנתר בהם כשהוא רוצה לקפץ i. e. קרסולים מתחזק. בהם *ſunt bina crura longa præter reliqua quatuor, adhærent locuſtæ prope collum ſupra reliquos pedes, ad ſaliendum illis, i. e. quando vult ſubſilire, iis innititur.* Verum αὐτοψία docet adnaſci hæc crura locuſtis infra reliquos pedes, ita ut a coxis ſedentium, pedes includantur, genuaque non autem coxarum capita, collum tangant. Hinc *Ariſtoteles de Part. Anim. l. 4. c. 6. ſub fin.* Οὐκ ἔμπροσθεν, inquit, ἀλλ᾽ ὄπισθεν ἔχουσιν αἱ ἀκρίδες τὰ πηδαλιώδη, τὴν γὰρ καμπὴν ἀναγκαῖον εἴσω κεκλάσθαι. *Locuſtæ non parte priore, ſed poſteriore habent crura illa ad gubernaculorum effigiem condita. Suffraginem enim intus flecti neceſſe eſt.* Nam muſcæ, apes &c. quæ in priore corporis parte ejuſmodi crura habere obſervat *Ariſtoteles l. c.* ſunt inſecta immunda.

Tremellius voces חרגל & סלעם *Lev.* XI, 22. vertit *bombycem* & *cantharum*, minus bene. Utrumque enim inſectum non ſaliens eſt, ſed volans. (Nam & papilione mutatur bombyx,) neutrum poſteriora crura habet ad uſum ſubſiliendi reliquis longiora. Imo a cantharo ob alimenti ſpurcitiem, ipſa hominis natura abhorret.

capite oblongo, caudaque informis ſit, ſi nomine חגב appellatur, munda eſt.

XXIII. Cui locuſtæ nondum enatæ ſunt alæ, nec cruribus ad ſaliendum idoneis inſtructa eſt, aut cujus alæ nondum majorem corporis partem tegunt, ſed ipſa tamen uberius incrementum promittit alis acceſſurum, ubi ipſa creverit, ecce illa jam tum licita eſt.

XXIV. Duobus ſignis piſces dignoſcuntur: Pinnis videlicet & ſquamis. Pinna natationis inſtrumentum eſt, & ſquama adhæreſcente corpus tegitur. Piſcis ſquamis veſtitus, pinnis etiam inſtructus eſt; Si piſcis ſquamas nondum habet, ſed naſcituras promittit ubi ipſe creverit, vel ſi dum in aqua verſatur, ſquamas habet, ſed dum extrahitur eas demittit, ecce piſcis eſt eſui aptus. Si quis piſcis non totus ſquamis veſtitur, nihilominus permiſſus eſt. Imo ſi vel una tantum pinna, & una ſquama in eo comparet, veſci tamen illo licet.

CAP. II.

CAPUT II.

Reatus ejus qui comedit de immunda pecude, fera & ave, carne humana, & quocunque reptili.

EX regula qua dicitur (*Deut.* XIV, 6.) *Omnem beſtiam habentem ungulas, & findentem fiſſuram duarum ungularum, ruminantem eſcam ruminis,* (*comedetis*,) intelligo, quod quæcunque beſtia non ruminat paſtum, nec fiſſas habet ungulas, vetita ſit. Interdictum vero ex regula præcepti derivatum, * rationem habet præcepti. Sed de camelo, de porco, de lepore, & de cuniculo dicitur: *Hæc NON comedenda ſunt ex ruminantibus & biſulcis.* (*Lev.* XI, 4.) &c. Hinc ecce diſcis, quod & hæc ex interdictorum ſint numero, quamvis

 alterutro

* *Rationem habet præcepti.* Videlicet reſpectu pœnæ & ſatisfactionis. Illi nimirum tantum vapulant, qui contra interdictum actionem includens delinquunt, at hic nullum apparet expreſſum interdictum, & tamen non minus videntur verberibus digni hujus erroris rei, quam qui carnem vetitarum avium aut piſcium deguſtarunt. Deducendum itaque eſt interdictum univerſale ex ſpeciali, per argumentationem a minori ab iis animalibus, quæ ſigno quodam munditiei inſtructa ſunt, ad ea quæ ſignis omnino deſtituuntur. Conf. *Philippi Aquinatis Modd. Explic. Pentat. n.* 1.

alterutro animalis mundi ſigno ſint inſtructa. Quanto magis reliquarum beſtiarum immundarum, quæ omnino omni deſtituuntur ſigno, comeſturam vetitam eſſe oportet interdicto, ultra illud præcepti rationem habens, quod ex regula: *comedetis*, educitur.

II. Propterea quicunque comedit tantum de carne pecudis aut feræ immundæ, quantum eſt oliva, is de Lege vapulat, ſive carnem ſive adipem comederit. In immundis enim inter carnem eorum & adipem, nullum diſcrimen Scriptura S. conſtituit.

III. Quamvis de homine dicatur: (*Gen.* II, 7.) *factus eſt homo anima* * *animans*, non tamen eſt ex complexu ſpecierum animantis ungulatæ, idcirco neque interdicto includitur.

* *Anima animans.* Ratio dubitandi eſt quod homo eadem voce *Gen.* II, 7. appelletur נֶפֶשׁ חַיָּה, qua alibi imo ipſius hujus capitis ỷ. 19. beſtiæ denotantur, vel ut verbis *R. Selomonis Iſaacidæ* utar ex *Comment. ad l. c.* אַף בְּהֵמָה וְחַיָּה נִקְרָא נֶפֶשׁ חַיָּה אַךְ זוֹ שֶׁל אָדָם חַיָּה שֶׁבְּכוּלָן שֶׁנִּתּוֹסֵף בּוֹ דֵּעָה וְדִבּוּר *Etiam pecus feraque vocatur anima vivens, ſed humana anima cunctis præſtat, quippe cum ei ratio & oratio ſit ſuperaddita; Aben Ezra* tamen exponit: שֶׁהָלַךְ מִיָּד וְלֹא כְּתִינוֹקִים *quod extemplo iverit, non ut infantes.*

ditur. Qui igitur de carne hominis aut adipe ejus, ſive vivi ſive mortui comedit, is non vapulat. Præcepto tamen vetitus eſt eſus ejus. Enumerat enim Scriptura ſeptem ſpecies ferarum, de quibus dicit: *Hoc eſt animal comedendum.* (*Deut.* XIV, 5.) Ecce igitur quodcunque animal præter illa exiſtit, (*i. e. dicitur* חיה) eo veſci non licet. Interdictum autem ex præcepto ductum, rationem habet præcepti.

IV. Quicunque tantum quantum eſt oliva comedit de carne avis immundæ,* is de Lege vapulat. Dictum enim eſt: *Et has avium abominabimini*** *NE comedantur.* (*Lev.* XI, 13.) Præterea ecce transgreſſus eſt præceptum, quo dicitur: *Avem quamvis mundam comedetis.* (*Deut.* XIV, 21.) Sic quicunque quantum eſt oliva comedit, de

 piſce

* *Is de Lege vapulat.* Inter eos igitur, qui pœnam excidii promeriti vapulant, recenſetur *Maccoth. c.* 3. conf. *Selden. de Synedr. l. c. c.* 13. *n.* 8. *Majm. Sanhedr. c.* 19.

** *NE comedantur. Raſchi ad* Lev. XI. *Dicitur*, inquit, *NE comedantur, ut reus etiam fiat, qui eas comedendas præbet parvulis. Hinc enim ſenſus eſt:* אל יהיו נאכלין על ידך, *Ne comedantur tuo miniſterio. Non enim hoc aliud eſt, quam ut prohibeatur earum uſus: Cum vero dicitur: Ne comedas ea* באכילה אסורין בהנאה מותרין *probibitus eſt* (*vetitorum*) *eſus, licitus uſus.*

piſce immundo, is vapulat. Dicitur enim (*Lev.* XI, 11.) *Et abominationi erunt vobis, de carne illorum NE comedatis.* Transgreſſus præterea idem eſt præceptum, quo dicitur: (*Piſcem*) *quemvis, cui ſunt pinnæ & ſquamæ, comedetis.* (*ib. v.* 9. *Deut.* XIV, 9.) includens, quod nullum piſcem cui non ſint pinnæ aut ſquamæ comedere liceat. Hinc ecce diſcis, quod quicunque piſcem immundum, pecudem vel feram immundam, aut avem immundam comedit, violaverit præceptum, & transgreſſus ſit interdictum.

V. En locuſta immunda, eſt ex genere reptilis volantis. Qui vero quantum eſt oliva de reptili volante comedit, is vapulat, quia dicitur: *Reptilia volantia quævis immunda vobis ſunto, NE comedantur.* (*Deut.* XIV, 19. Quid igitur eſt reptile volans? Eſt v. c. Muſca, culex, crabro, apis, & his ſimilia.

VI. Quicunque ad magnitudinem olivæ * de reptili terræ comedit, is vapulat, quia ſcri-

* *De reptili terræ.* Univerſalis dimenſio eſt oliva; octo tamen ſolæ reptilium ſpecies quantitate lentis æſtimantur. Nomine autem reptilium comprehenduntur inferiora illa genera, quæ recenſentur *Lev.*

ſcriptum eſt: (*Lev.* XI, 41.) *Et omne reptile, quod humi repit, abominandum eſt, NE comedatur.* Quid eſt igitur illud reptile terreſtre? Eſt v. c. Talpa, crocodilus terreſtris, ſerpentes, ſcorpii, ſcarabæus & millepeda, & alia ejusdem generis.

VII. Octo reptilia in Lege commemorantur, videlicet: * (*Lev.* XI, 29. 30.) *Talpa, mus, crocodilus terreſtris, erinaceus, lacerta, ſtellio, limax & chamæleon.* Quicunque de eorum carnibus quantum eſt lens come-

Lev. XI, 42. Quem verſum explicant Magiſtri: Omne alvo prona repens, *i. e. ſerpens*, Omne (*additur* לרבות את השלשול *ut includatur cæcilia & quod cæciliæ ſimile eſt:* quatuor pedibus procedens, *i. e. ſcorpius:* כל לרבות את החיפושית omne (*additur*) *ad includendum ſcarabæum, & quod ſcarabæo ſimile eſt.* (*Raſchi ad Lev.* XI. voce gallica אשקרבוט *eſcarbot* hanc exponit.) multos pedes habens, *i. e. ſcolopendra ſ. millepeda,* usque ad omne (*additur*) *ut includatur quod ei ſimile eſt & quod ſimili ſimile eſt. Chullin c. 3. f. 67. col. 2.*

* *Talpa.* Cum voces חולד & צב adhuc in lingua Arabica ſint ſuperſtites, non potui non in iis exponendis *Bochartum* potius & *R. Saadiam*, quam *R. Selomonem* ſequi: Ultimum quoque vocabulum, ex mente *Bocharti Hieroz. P.* 1. *l.* 4. *c.* 6. expoſui, cum talpæ nomen, quod pro תנשמת poſuit *Raſchi*, primo loco adhibendum ſit.

comedit, is vapulat. * Dimenſio eorum quoad comeſturam eadem eſt, quæ obſervatur quoad pollutionem. Si vel ex omnibus illis inter ſe junctis collecta caro, non niſi lentem magnitudine æquat.

IIX. Hæc de illo dicta ſunt, qui de iis comedit poſt mortem eorum; ſed amputans membrum ex uno eorum vivo, & illud comedens, non vapulat propterea, niſi caro abſciſſa comeſtaque magnitudine olivam æquaverit. Conjuncta etiam hoc modo ex diverſis caro, olivæ ſit par oportet.

Sed

---

* *Dimenſio. Solæ octo repentium ſpecies enumeratæ, poſt mortem ſuam polluunt.* (Aben Ezra ad Lev. XI, 31.) *quia dicitur: Hæc vobis immunda ſunto inter omnia reptilia.* Quod autem in horum comeſtura alia quam conſueta oleæ dimenſio ſit adhibenda, diſputatur in *Meila c.* 4. ubi Rabi argumentati eum tantum eſſe plagarum reum, qui quantum eſt oliva comederit, quia de reptilibus adhibeatur vox *comedendi*, verba, reſtringuntur ad membrum viventis; ut qui de mortuo comedit, ob carnem quæ lentem æquat reus cenſeatur. *R Jacob ben Aſcher* argute obſervat in *Comm. ad Lev.* XI. השורץ בגמטריא כשעורה ששיעורו כשעורה *i. e. Vox* השורץ *reptans idem per Gematriam valet, quod* כשעורה *ſicut hordeum* (videlicet 601.) *quia dimenſio ejus eſt ad granum hordei.*

Sed poſt mortem reptilis, ſi quis * integrum quoddam comederit ejus membrum, niſi caro ejus lenti ſit quantitate par, non vapulat.

IX. Sic & ſi ſanguis octo reptilium carnibus eorum junctus lentem æquet, h. e. ſi ſanguis miſceatur carni; Sicut qui ſanguinem ſerpentis carnibus ejus junctum, ut olivam æquet, comederit, vapulat, quia caro ejus a ſanguine ſeparata non fuit, quamvis non polluat, & ſic omnia ſimilia ex reliquis reptilibus, quæ non contaminant immunditie.

X. * San-

* *Integrum quoddam membr.* Quamvis ut *Cap. I. Ceritbut* patet, membrum reptantis integrum, quantumvis lente minus polluat, (quod & *Autor noſter Schear Avoth Hattuma c.* 4. obſervat,) nemo tamen ob ejus comeſturam vapulat, niſi tantum comederit, quantum eſt lens. Par eſt hoc reſpectu cadaveris ratio, cujus membrum etiam oliva minus polluit, nec tamen quisquam vapulat, niſi tantum comederit, quantum eſt oliva. Convenientiam quam habet comeſturæ dimenſio cum dimenſione pollutionis *l. c.* colligunt ex *Lev.* XX, 25. *Diſtinguetis beſtiam mundam ab immunda &c. Ne abominandos reddatis voſmetipſos beſtia, ave, vel ullo humi reptante, quod ſeparatim ut immundum habeatur vobis edixi, qui textus incipit de comeſtura & claudit de pollutione.* Quod vero diverſa ſit a cæteris reptantium dimenſio quoad comeſturæ reatum & pollutionem ex voce הבדלתי deducunt *l. c.* Conf. *Maggid Miſchne ad h. l.*

X. * Sanguinem octo reptilium a corpore ſuo ſejunctum, ſi quis collegerit, comederitque ejus tantum quantum olivam æquat, vapulat; idque ſi deciderint judices de hac lite, nomine veſcentis reptili. Si enim deciderint de ea nomine veſcentis ſanguine, impunis eſt. Non enim alii hic fontes ſunt, quam qui beſtiæ, feræ, vel avis ſanguinem comederunt.

XI. Omnes dimenſiones earumque diviſiones traditione ad nos a Moſe pervenerunt, in monte Sinai eas edocto.

XII. Quicunque de reptili aquatico, tantum quantum eſt oliva, comedit, is vapulat de Lege. Scriptum enim eſt: *NE reddatis vosmet abominandos ullo reptili reptante, nec polluatis vos illis.* (*Lev.* XI, 43.) Ecce complectitur Lex hoc interdicto reptile terreſtre, reptile volans, & repens aquatile. Quid autem aliud eſt repens aquaticum, quam creaturæ exiguæ, velut vermiculi & ſanguiſuga, quæ in undis victitat, & creaturæ multo his majores, quæ ſunt feræ

* *Sanguinem octo reptilium. Jeruſ. Schekalim c. 3. f. 11. edit. R. Eliæ ben Jehuda p. 1.* דם השרץ כבשרו מטמא *ſanguis reptantis ut caro ejus polluit*, nec tamen uſpiam in Lege vetita eſt comeſtio illius.

feræ maritimæ. Ut generatim loquendo rem in pauca conferam, omne id, quod figura ſua piſcem non refert, nec immundum nec mundum, velut phoca, delphinus,* rana, & ſimilia.

XIII. Hæ ſpecies ſunt quæ naſcuntur in fimetis, & corporibus cadaverum: tinea, termes & his ſimilia. Non enim producuntur a mare & fœmina, ſed ex fimo computreſcente. Quæ his ſimilia ſunt, vocantur רומש (*gradiens*) ſuper terram, & qui de iis comedit quantum eſt oliva, is vapulat, quia dictum eſt (*Lev.* XI. 44.) *NE polluatis vosmet ullo reptili gradiente* (שרץ רומש) *ſuper terram:* quamvis non fœtum edendo multiplicetur. Sed *reptile repens* (שרץ השורץ) *ſuper terram*, eſt quod conſuetudine maris & fœminæ ** fœtum edendo multiplicatur.

XIV. Illæ

* *Rana.* Manifeſtum hic habemus diſcrimen vetiti & immundi. Comeſtura ranæ vetita eſt, *ranam tamen eſſe mundam*, ſeu non polluere, *usque adeo certum eſt, ut ne Sadducæus quidem de illo dubitet, imo ut hoc vel ebrio docere liceat. Majm. Biath Hammikdaſch c. 1. n.* 3. Sæpe tamen & in S. Scriptura & apud Judæos טמא pro אסור eleganter uſurpatur.

** *Fœtum edendo.* In hac expoſitione obſervatur ſignificatio

XIV. Illæ ſpecies, quæ in fructibus & cibis producuntur, ſi relictis ſuis cuniculis egreſſæ fuerint in terram, quamvis poſtea reverterint in medium ejus rei veſcæ, vetitæ ſunt, & quisquis tantum de illis comedit quantum eſt oliva, is vapulat. Quia dicitur: (*Lev.* XI, 42.) *Ad omne reptile reptans ſuper terram*, ad prohibendum ea quæ relicto loco ſuo, terram petiverunt; Si vero locum ſuum nondum reliquerunt, comedere licet fructum ſimul cum verme in eo latente.

XV. Hæc dicta ſunt de eo caſu, ſi vermina-

ſicatio radicis שרץ qua notat: *edere, generare, numero creſcere*, ut in illo *Exod.* I, 7. פרו וישרצו וירבו ויעצמו. Sic *Bochartus*: *Reptile a fœcunda propagatione* שרץ. *P.* I. *l.* 1. *c.* 9. Crediderunt autem veteres quoque Judæi e putredine nonnulla naſci reptantia: imo R. Ammi hinc contra infidelem quendam derivat argumentum pro reſurrectione mortuorum: צא לבקעה וראה עכבר שהיום חציו בשר וחציו אדמה למחר השרץ ונעשה כולו בשר: Exi in convallem, videbis murem, qui hodie partim carneus eſt, partim terreus, poſtridie reptare totum carneum. *Sanhedr.* c. XI. Alibi diſputant num talis mus naſcens tangentem polluat. Ejusmodi animalia recedente Nilo colonos invenire, quorum in eodem corpore ſæpe, Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus, aſſerit Ovidius Metam. l. 1. f. 12.

minaverit cibus poſtquam revulſus eſt a terra. Si vero vermibus ſcatet, dum adhuc alligatus eſt (*terræ, vel plantæ ſuæ,*) vermes illi æque ſunt vetiti, acſi ad terram ſe demiſiſſent, & propter eorum eſum ſontes vapulant. Si quid enim dubium eſt, vetitum eſt. Idcirco ullas ejusmodi ſpecies fructuum, quarum mos eſt, dum terræ inhærent, vermes producere, nemo comedat, antequam fructum inde ab intima parte perſcrutatus, invenerit, quod nullus in eo lateat vermis. Si vero relictus fuerit fructus, poſtquam revulſus eſt, per duodecim menſes, comedit eum quilibet ſine inveſtigatione. Nullus enim qui in eo fuit vermis, perdurare potuit duodecim menſes.

XVI. Si vermiculi relicto loco ſuo aërem (*adſpexerunt,*) quamvis intacta terra, vel ſi pars illorum, relicto fructu terram petiit, vel poſtquam mortui ſunt, vel ſi quis vermis invenitur intra (*corticem*) ſuper palmula, vel ſi exiverunt vermiculi ex medio unius cibi in medium alterius, omnes illi, quia dubii ſunt, prohibentur, nec tamen propterea comedentes vapulant.

XVII. Vermis qui invenitur in viſceribus piſcium aut in cerebro capitis beſtiæ, & qui in carne reperitur, vetitus eſt. Sed ſi piſcis ſale conditus vermes producit, ecce vermis in eo repertus eſt licitus. Nam eadem eſt horum piſcium ratio, quæ fructuum a terra revulſorum; quos licet comedere ſimul cum verme, qui eſt in medio eorum, (*ſi nimirum non egreſſus fuerit*,) inſtar corporis uniti. Et pari modo, ſi aqua vaſis incluſa verminat, licet illa repentia ſimul cum aquis bibere. Scriptum enim eſt: (*Lev.* XI, 9.) *Quicquid pinna & ſquamis inſtructum eſt in aquis, mari, & fluviis, illud comedetis*, quaſi diceret (*Moſes*): In mari, aquis (*apertis*), & fluviis illud quo tibi veſci licet, eſt quicquid inſtructum eſt &c. Sed quod in vaſis eſt, ſive ſit ei pinna cum ſquamis, ſive non, licitum eſt.

XIIX. Repens aquaticum quod naſcitur in puteis & foſſis & foveis (*quadratis, in quorum tabulato orificium eſt*,) quia illæ aquæ non ſunt fluentes, ſed clauſæ, & earum eadem eſt ratio, quæ aquæ vaſi incluſæ, licitum eſt, nec prohibetur inclinans ſe ut bibat, quamvis eodem quo bibit momento, nonnulla ſimul hujus-

modi

modi exigua repentia animalcula abſorbeat.

XIX. Hæc de eo caſu dicta ſunt, ſi non diſceſſerint vermiculi ex loco, in quo producti ſunt; Si vero quis ab eo loco receſſerit, vetitus eſt, quamvis poſtea in medium dolii aut vaſis reverterit. Si tantum ad margines dolii progreſſum repens, reverterit, incideritque in mediam aquam aut ſiceram, licitum eſt. Pari modo quamvis ad putei vel foveæ margines reptaverit, ſi in aquam rediit, permittitur.

XX. * Qui colat vinum vel ſiceram, comeditque culices, muſcas vel vermes, quos colando ſeparavit, is vapulat nomine repentis aquatici, vel nomine repentis

 & vo-

* *Qui colat.* Deducitur hoc interdictum ex *Lev.* XI, 11. ubi prohibentur piſcium vetitorum cadavera: את נבלתם לרבות היבחושין שבינבן cadavera eorum *ut includantur ſimul culices, qui colo ſeparantur. Chullin f.* 67. quod repetit *Raſchi Comment. ad Lev.* XI, 11. Idem יבחושין exponit מושיילונש *mouchellons*, (hodie *moucherons*). Græce vocantur *κώνωπες*, quos acetum appetere docet *Ariſtot. Hiſt. Anim. l.* IV. *c.* 8. Hoc traditionis Judaicæ dogma reſpexiſſe videtur Salvator *Matth.* XXIII, 24. cum Phariſæos deſcribit *οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες*; *colo ſeparantes culicem, camelum vero deglutientes.*

& volantis ſimul, quamvis illud in vas redierit, poſtquam colavit, quia ecce reliquit locum, in quo productum eſt. Si vero nondum colavit, bibit ſine ulla prohibitione, quemadmodum expoſuimus.

XXI. Huc redeunt quæ in hoc capite diximus (*de eo,*) qui quantum eſt oliva, comedit. Is eſt qui edendo abſumit quod olivam æquet de creatura majore, aut conjungit parum de hac, parum de illa creatura, quæ ejusdem eſt ſpeciei, donec tantum comederit quantum eſt oliva. Sed qui ſolam aliquam creaturam immundam comedit integram, ecce ille vapulat de Lege, quamvis illa foret minor grano ſinapis, ſive eam mortuam ſive vivam comederit, quamvis etiam putruerit, mutataque ſit ejus facies; tamen quia totam comedit, vapulat.

XXII. Si quis formicam uno crurum ſuorum deſtitutam comederit, non vapulat, niſi quantum eſt oliva comederit; Si vero quis vel muſcam integram aut culicem integrum comederit, vapulat nomine reptilis volantis.

XXIII. Ecce ſi qua foret creatura, reptili, & volanti & aquatico & terreſtri accenſenda,

ſenda, v. c. ſi inſtructa foret alis; ipſa autem humi graderetur velut reliqua repentia, multiplicaretur autem in aqua, hanc ſi quis comederet, ter vapulandum ipſi foret: imo *quater, ſi præterea foret ex iis ſpeciebus, quæ in fructibus naſcuntur; ſi autem ſimul ejusmodi foret vermiculus, qui fœtum produceret, comeſturæ reus *quinquies vapularet.

XXIV. Si ad id, quod ſit reptile volans, accederet quod eſſet etiam ex numero avium immundarum, vapularet * ſexies: Nomine avis immundæ, nomine reptilis volantis, nomine reptantis terreſtris, nomine gradientis ſuper terram, nomine vermiculi fructuum, ſive eam reus comediſſet, quanta quanta eſſet, ſive ejus tantum quantum eſt oliva. Idcirco qui formicam comedit volantem, quæ in undis naſcitur, vapulat * quinquies.

XXV.

* *Quater*, * *Quinquies*, * *Sexies*. Quisquis interdictum actionem includens violat, meretur quadraginta plagas; Sed qui non interpoſita verberatione delictum geminat, vel eadem actione plura violat interdicta, quoties peccavit, vel quot læſit interdicta, toties vapulat. *Maccoth c.* 1. *Majm. Sanhedr.* *c.* 17. Huc pertinet illud quod adducit *Vir ſummus Joh. Lightfootus ad Luc. XII*, 49. *ex Chullin f.* 82. 1.

XXV. Qui contrivit formicas, iisque adjunxit unam integram, quæ contuſis addita complevit magnitudinem olivæ, omnesque ſimul comedit, is ſexies vapulat: quin-

Qui mactat vaccam & duos ejus vitulos סופג שמונים *vapulat octoginta plagis*, quia videlicet delictum geminavit: frequentius, ſed eodem ſenſu dici ſolet ב׳ מלקיות *duæ verberationes.* Sic idem eſt cum dicit *Majm.* עכום *c.* 12. *Non vapulat niſi una* (verberatione) אינו לוקה אלא אחת acſi diceret לוקה ארבעים *vapulat quadraginta* plagis, cum in qualibet verberatione obſervandus ſit numerus quadrageſimo proximus. *Maccoth. c.*3. Pari modo qui eadem actione plura violaverat interdicta, propter ſingula unius (non plagæ, ſed verberationis i. e. quadraginta plagarum) reus erat. Quo pertinet locus præſens, in quo plura interdicta, eadem, in idem objectum, actione, violata recenſentur, delicto, toties quadraginta plagis vindicando, quot interdicta læſit peccator. Contra Vir Summus *l. c.* ejusmodi dicto (quod augmentum plagarum ſignificat,) innui credit *diminutum eſſe pro ratione delicti plagarum numerum*, videlicet *Peſach. f.* 24. 1. אכל פוטיתא לוקה ד נמלה לוקה ה צירעה לוקה שש Quod vertit: *Qui edit Potitham vapulet quatuor plagis, qui formicam vapulet quinque, qui crabronem vapulet ſex.* Melius *Raſchi ad Lev.* XI, 44. כל לאו מלקות והו שאמרו בתלמוד אוכל פוטיתא לוקה ד נמלה לוקה ה צרעה לוקה ו׃ (Transgreſſio *Singulorum interdictorum, verberatione* (i. e. quadraginta plagis) *vindicatur, & hoc eſt, quod dicunt in Talmude*

quinquies propter unam illam formicam (integram, qualis ſupra deſcripta eſt,) & ſemel eo nomine, quod de cadavere immundorum tantum comedit quantum eſt oliva.

Talmude (Peſachin *l. c.*) *Qui comedit Potitham &c.* Conf. *Chullin c. 3. ſub fin.* Non enim minuebant numerum plagarum pro ratione delicti, quæ videtur eſſe mens Legiſlatoris, ſed *reſpectu virium aut infirmitatis rei. Majm. l. c. n.* 1. Obſervabant autem circa diſtributionem plurium verberationum, cum ordinem quem Majmonides ib. hal. 4. oſtendit: *Qui plurium verberationum reus eſt, propter plura delicta, vel etiam propter opus unum, quo plures verberationes mereantur peccantes, ſi æſtimarunt eum* (judices) *æſtimatione una,* (i. e. ut una vice omnes plagas accipiat,) *vapulat, deinde liber eſt; Sin minus, vapulat, poſtea ſanatur; deinde* חוזר ולוקה *revertitur ad plagas.* *Sic v. g. Qui reus eſt duarum verberationum, ſi ita eum æſtimant* (judices): *Poteſt hic homo perferre quadraginta quinque plagas, is eadem vice paſſus plagas quadraginta quinque, dimittitur. Si vero æſtimarunt eum ad priorem tantum verberationem, infligant ei vel tres, vel novem, vel triginta &c. plagas, ſecundum æſtimationem, deinde ecce hic homo ſanatur, poſtea iterum æſtimant illum ad verberationem, & ſic porro, donec toties vapulaverit, quoties vapulare tenetur.* Sublato igitur hoc fundamento ſententiæ Lightfooti, inſtabilis etiam eſt conjectura, quam ex l. c. derivat, videlicet *non fuiſſe* (quod vulgo recte creditur, quamvis lora continuo nexu fuerint juncta,) *flagellum trifuniculatum aut trichorde.*

CAPUT III.

De cibo ex vetito animali nato, lacte, melle, caſeo, ovis, muria, butyro &c.

OMnis cibus, * qui ex ulla ſpecierum vetitarum, ob quarum eſum vapulant, prodit, eſt interdictus Lege, v. c. Lac beſtiæ aut feræ immundarum & ova avium aut piſcium immundorum, quia dicitur (*Lev.* XI, 16.) *Et filiam ſtruthiocameli*, i. e. ovum ejus. Idem judicium eſto

* *Omnis cibus.* Argumentum, quo hanc interdictionem probare vult *Autor noſter*, deſumtum eſt ex *Chullin c. 3. R. Hiskias ait Lege vetitum eſſe ovum immundæ* (avis,) שנאמר ואת בת היענה וכי בת יש לה ליענה אלא זו ביצתה *Q. D. E. Et filiam ſtruthiocameli. Numquid autem eſt filia ſtruthiocamelo? Enimvero hæc eſt ovum ejus.* Quamvis autem verba hæc omne ſtruthiocamelorum genus denotare poſſint, & denotent; Judæi tamen hanc expoſitionem Moſi acceptam referunt, ut alias quibus ſolam in Scriptura S. *indicationem* tribuunt. *Halichoth Olam P. I. c.* I. &c. Dubitari tamen nequit, quin Deus O. M. animalium quorundam eſum prohibendo, abſtinentiam quoque a lacte ovisque eorum præceptam voluerit, unde fortaſſis hæc quoque probatio originem traxit, cum memoriæ hujus interdicti, *κατὰ διάνοιαν* probandi, vix ullo vox commodius ſuccurrere poſſe deprehendatur, quam iſta בת, quæ alioquin ſupervacua videtur. Conf. *Phil. Aquin. Modd. interpr. Pent. n.* 2.

eſto de animalibus cum ſtruthiocamelo vetitis, rebusque ad ea ſe habentibus, ut ad hunc ovum ſe habet.

II. Lacte humano veſci licet, quamvis, ut ſupra monuimus, caro humana præcepto ſit vetita.

III. * Mel apum & crabronum licitum eſt, quia non corpus illorum exprimit il-

 lud,

* *Mel apum.* Certum equidem eſt, non omne quod in Iſraëlitide terra olim uſurpatum fuit mel, apum fuiſſe vel crabronum. Magna enim quibusdam locis mellis copia ex ficubus deſtillabat, unde narratur Cethubboth f. 111. p. 2. רמי׳ בר יחזקאל איקלע לבני ברק וחזנהו להנהו עיזי דקאכלן תותי תאני וקא נטיף דובשא מתאיני וחלבא טייף מנייהו ומיערב כהדדי אמר היינו זבת חלב ודבש וכו i. e. *Rami filius Ezekielis pervenit ad Bu akæos, ubi conſpexit capras ſub ficubus paſcentes, fluente igitur ex ficubus melle, & deſtillante ex iis,* (earum caprarum uberibus,) *lacte, quod illi miſcebatur: Hoc, inquit, eſt quod dicitur:* (Exod. III, 8. & alibi) *lacte & melle fluens.* Nec tamen apibus terra Iſraëlis caruit. *Jud. XIV,* 8. *Deut. I,* 44. &c. quarum etiam melle partim ob rationem ab *Autore noſtro* allatam, partim ex conſuetudine veſcebantur Judæi, hoc *domeſticum*, illud *agreſte mel* vocantes: ab altari tamen Dei O. M. mel exulare oportebat. *Lev. II*, 11. Conf. *Majm. Iſſure bammikdaſch.* c. 5. h. 1. 2. ſqq. ne videlicet re ulla, quæ aliquam pollutionis ſpeciem præ ſe ferret, Deo litari poſſe quis crederet. De uſu mellis crabronum diſſentire videtur *R. Jebuda Becoroth c. I.* qui cum cæteris Doctoribus conciliatur in *Maggid Miſchne ad h. l.*

lud, ſed colligunt ex herbis in ora ſua, revomuntque in alveare, ut præbeat ſibi victum tempore pluvioſo.

IV. Quamvis lacte humano veſci liceat, vetuerunt tamen ſapientes adultum lactere ex uberibus. Poteſt autem fœmina in vaſculum mulgere, ut inde bibat, ſed adultus qui ex ubere lactet, eſt inſtar ſugentis ubera animalis vetiti. Afficitur autem plagis contumaciæ.

V. Lactet infans continuo vel quatuor aut quinque annis. Si vero ablactarunt illum, disjunctusque fuerit a mamma triduo vel ultra, reſpectu roboris (*jam firmati,*) non reſpectu morbi, haud revertitur ad lactendum, idque ſi ablactarunt eum* poſt quatuor & viginti (*a nativitate*) menſes; Sed infra hoc tempus, licet ablactarint illum menſe uno vel duobus, redit tamen ad ubera, donec abſoluti ſint viginti quatuor menſes.

VI.

* In *Cethubboth* c. 5. Proponit R. Jehuda ſententiam quam ſequitur *Autor noſter.* Non multum hac in re a Judæis diſcrepant Muhammedani, quamvis magis abſolute terminum biennii urgeat *falſus Propheta,* non ultra permittens infantibus lactere, *licet conſenſu utriusque Parentis infra illud tempus ablactari queant. Sura II. v. 234.*

VI. Quamvis lac beſtiæ immundæ, ovaque avis immundæ vetita ſint Lege, non tamen (*qui iis veſcuntur*) propterea vapulant. Dictum enim eſt: (*Lev.* XI, 8.) *De carne earum ne comedatis.* Propter carnem igitur vapulat reus, non propter ova aut lac. Et ecce qui illa comedit, eſt inſtar ejus qui veſcitur dimidia dimenſione ejus quod Lege vetitum eſt. Itaque * non vapulat; ſed afficitur plagis contumaciæ.

VII.

* *Non vapulat, ſed afficitur plagis.* Nequaquam hæc pugnant ut apparet. Diverſum enim ſupplicii genus eſt מלקות a מכת מרדות. Priore pœna afficitur, qui expreſſum Lege interdictum quodcunque, actione violat, ſive adjuncta ſit ei pœna excidii, a qua poſt plagas liberatur reus, ſive mortis θεηλάτε, ſive aliud ſit interdictum explicitum. *Maccoth c.* 3. *Selden. de Synedr. L.* 2. *c.* 13. *n.* 8. *Majm. Sanhedr. c.* 19. hinc vocabatur מלקות דאורייתא *verberatio legalis.* Plagæ infligebantur 39. vel pauciores; inſtrumentum erat lorum bubulum, quod ſimul cum modo deſcribit *Buxtorff. Abbrev. præf.* ex *Maccoth.* Sed מכת מרדות *verberatio rebellionis ſ. contumaciæ* ei infligebatur, qui violaverat conſtitutiones Rabbinorum, unde ortum eſt illud epitheton דרבנן *Rabbinorum.* Inſtrumentum erat fuſtis, poterantque plagæ, ratione delicti & perſonæ, minui aut augeri, vel ad ipſam mortem. *vid. Aruch. Majm. Sanhedr. c.* 16. *Jom Cippur. c.* 2. Hac pœna etiam, qui præceptum violaverant, potuerunt affici. De utroque ſupplicio: אמר ר' יוחנן בנגד

VII. Videtur mihi is qui ova piſcium immundorum comedit, eodem loco habendus eſſe, quo qui viſcera eorum comedit. Et ſic ei qui ova avis in botro (*ovarii*) ſuſpenſa comedit, quæ nondum nata perfectaque ſunt, vapulandum eſſe, perinde acſi inteſtina ejus comediſſet.

IIX. Ex ovo avis immundæ, fœtum, qui in eo jam cœpit formari, ſi quis comederit, is vapulat nomine reptilis volantis. Sed ſi in ovo avis mundæ fœtus jam cœperit lineari, eumque quis voraverit, afficitur plagis rebellionis.

IX. Si in ovo gutta ſanguinis reperitur ſuper albumine, diſpergendus eſt ſanguis, reliquum comedere licet; ſi ſuper vitello, totum ovum eſt vetitum. *Ovum irritum ei

---

ככגר מקל והרצועה תהא זריז *Ait R. Jochanan: ad fuſtem & lorum promtus eſto* Sanhedr. c. 1. Adeoque poterat is qui non vapulabat loro ex Lege, percuti tamen fuſte ex ſapientum decreto.

* *Ovum irritum*. Vocem hanc: ביצה מוזרת ita exponit *Raſchi:* ביצים שאינם של זכר אלא דספנם מארעא אע"פי שישבה עליהן תרנגולת כמה ימים מותרות דלעולם לא יהא בה אפרוח: *Ova quæ ſine mare naſcuntur, collecta tantum ex ſolo* (a gallina,) *licet illis longo tempore gallina incubuerit, licita tamen ſunt, quia nunquam in illis*

ei qui faſtidio non laborat, comedere licet.

X. Pullo exclnſo quamvis nondum aperti ſint oculi ejus, veſci licet. Beſtiæ nundæ quæ diſcerpta eſt lac vetitum eſt, eque ac lac beſtiæ immundæ, & ſic ovum ıvis mundæ, quæ eſt diſcerpta, eſt inſtar ›vi avis immundæ, vetitumque cenſetur.

XI. Pullus natus ex ovo diſcerptæ, eſui ptus eſt, quia ſpecies ejus non eſt immuna. Si dubium eſt num avis ſit diſcerpta, ımnia ova, quæ prima fœtura edit, reſerantur. Si attigerit ſecundam fœturam, œperitque iterum parere, licita ſunt prira quoque. Nec enim ſi diſcerpta foret, nplius pareret. Si vero non parit, ecce va illa ſunt vetita.

XII. Lac beſtiæ immundæ * non coagutur, neque ad ſpiſſitudinem redigitur velut

illis reperietur fœtus. Sic *Plin. H. N. l* X. *c.* 60. exiſtimat aves irrita ova *ex pulvere concipere.*

Illum qui faſtidio non laborat, per εὐφημισμὸν frequentem Judæis Autor appellat: נפש יפה *animam pulcram.*

Non coagulatur. Conſentit cum *Majmonide Ariſtoteles Hiſt. Anim. l.* 3. *c.* 20. τὸ μὲν οὖν τῶν μὴ ἀμφοδόντων γάλα πήγνυται, διὸ καὶ τυρεύεται τῶν - - ἡμέρων. τῶν ἀμφοδόντων οὐ πήγνυται. Interpr. Gaza: *Coit lac eorum*

velut lac mundæ, & ſi miſceatur lac immundæ, lacti mundæ beſtiæ, ubi ſpiſſare volueris, ſpiſſabitur lac mundæ; immundæ autem lac cum ſero defluet.

XIII. Adeoque concedendum merito foret, quod omne lac in manu Cuthæi repertum, ſit vetitum, quia forte miſcuit ei lac beſtiæ immundæ. Caſeus autem Cuthæorum ſit licitus, quia nullius beſtiæ immundæ lac in caſeum vertitur. Sed ævo ſapientum Miſchnicorum deciderunt Magiſtri de caſeo Cuthæo, eoque veſci vetuerunt, propterea quod coagulari ſolet *cuticula coaguli, de pecude ab ipſis mactata, quæ

eorum quæ non utrinque dentata ſunt, quapropter caſeus ex iis fit, quæ inter urbana dentium ordine carent ſuperiore, eorum autem quæ utrinque dentata ſunt lac coire non poteſt. *Ib.* tamen obſervat quod τὸ ἵππειον καὶ τὸ ὄνειον μίγνυται εἰς τὸν Φρύγιον τυρόν, *lac equinum & aſininum miſceatur ad conficiendum Phrygium caſeum*, quo videlicet aliud lac temperetur. Conf *de Part. Anim. l.* 3. 15.

* *Cuticula coaguli.* Hæc prohibitio extat in *Avoda Sara c. II. m.* 5. quam ita exponit Samuel *ib f.* 35. *c.* 1. שמואל אמר מפני שמעמידין אותה בעור קיבת נבילה הא קיבה גופא שריא *Samuel ait: Propterea* (prohibuerunt Miſchnici caſeos gentilium) *quia coagulant illos pelle coaguli* (ventriculo vitulino in quo eſt lac coagulans,) *cadaveris. Ipſum autem coagulum* (ſ. lac quod eſt in ventriculo,) *licitum eſt.* Hanc expoſitionem *Autor Noſter & hic &*

quæ cadaveris inſtar habetur. Si vero dixeris: Nonne cuticula coaguli eſt res admodum exigua in lacte, quod per eam coagulatur, quidni ergo propter parvitatem ſuam negligitur? (*Reſponderem:*) Propterea quia illa eſt id, quod coagulavit caſeum, itaque cum id vetitum ſit, quod coagulavit caſeum, (*qui effectus eſt in oculos incurrens*,) totus caſeus eſt vetitus, quod ex ſequentibus uberius pateſcet.

XIV. Caſeum quem coagularunt Cuthæi * herbis aut ſucco fructuum, v. c. humore ficuum, quamvis agnoſcatur in caſeo, (*vel herba, vel ſuccus*,) pars tamen illuſtrium Doctorum aſſerit eſſe vetitum; quia jam ante de omni caſeo Cuthæorum ſive

§. 19. *cap.* 4. ſequitur. Talmudici enim ſententiam *Chullin c.* 8 *m.* 5. propoſitam mutarunt. *Avoda Sara c.* 2. *m.* 5. Conf. *viri ſummi G. E. Edzardi Annotatt. ad Avoda Sara ll. cc.*

* *Herbis aut ſucco. Ibid. Avoda Sara f.* 35. *col.* 2. אמר ר' יהושע שמעתי בפירוש שהמעמיד בשרף העלין ובשרף העקרין מותר ובשרף הפגין אסור מפני שהוא פירי: (interprete *Celeberr.* Edzardo:) *R. Joſua dixit: Ego manifeſte audivi, caſeum quem quis coagulavit ſucco foliorum & ſucco radicum eſſe licitum, cum autem cujus coagulum aliquis fecit ſucco groſſulorum eſſe prohibitum, quia groſſuli ſunt fructus.* Additur tamen paulo poſt: קשיא *hæc tamen difficultate non carent.*

ſive coagulato ope rei licitæ ſive vetitæ, tulerant ſententiam (*probibentem ejus e-ſum*), propterea quod Cuthæi re vetita caſeum coagulant.

XV. Quicunque veſcitur caſeo Cuthæorum, vel lacte quod mulgendo expreſſit Cuthæus, non inſpectante ullo Iſraëlita, is plagis contumaciæ afficitur. Butyrum Cuthæorum pars illuſtrium Doctorum permiſit. Ecce enim non deciderunt quicquam (*Miſchnici*) de butyro, præterea lac immundum non ſpiſſatur, (*adeoque nec ex eo butyrum parari poteſt*;) Pars autem Illuſtrium Doctorum eo veſci prohibuit, propter nitentes guttulas lactis, quæ in butyro remanent. Ecce enim ſerum quod butyro adeſt * non ita ei miſcetur ut negligi poſſit

* *Non ita miſcetur ut negligi poſſit.* Regulas circa hujusmodi mixtionem obſervandas proponit *Autor c.* 15. Hoc loco obſervandum eſt: שאין המיעוט בטל אלא הלח בלח כגון יין ושמן וכיוצא בזה *quod parvitas non aboleat (interdictum) niſi liquidum in liquido, v. c. vinum, oleum &c* ut verbis רשב״א loquitur *Joſeph Karo in Ceſeph Miſchne ad h. l.* Sententia ergo *Autoris* in ſequenti halacha hæc eſt, quod guttulæ quæ ſunt liquidæ, butyro quod coquendo fit liquidum, dum fluidum eſt ita miſceantur, ut poſt cocturam dignoſci nequeant.

poſſit propter parvitatem ſuam. Et de omni lacte quod eſt penes Cuthæos, ſuſpicio eſt, mixtum illi fortaſſis lac eſſe beſtiæ immundæ.

XVI. Exiſtimo, quod ſi quis acceptum a Cuthæis butyrum coxerit, donec evanuerint nitentis lactis guttulæ, butyrum illud fore licitum. Si enim diceres: mixtæ ſunt (*guttæ*) illi, & ſimul coctæ. (*Reſponderem:*) Negliguntur tamen propter parvitatem ſuam. Butyrum autem, quod Cuthæi (*ipſi*) coxerunt, vetitum eſt, propter polluta ſupellectilia Cuthæorum, quod poſtea explicabitur ſuo loco.

XVII. Si quis Iſraëlita habitat ad latus gregis Cuthæi, venitque Cuthæus iſte, & offert Iſraëlitæ lac de grege, quamvis in grege ejus etiam ſit beſtia immunda, ecce illud lac eſt licitum, licet non viderit eum mulgentem. Et hoc ideo, quia (*Iſraëlita*) ſtans (*in ſuis ædibus*) videre potuiſſet eum mulgentem, ut adeo vereatur Cuthæus immundam beſtiam mulgere, ne Iſraelita ſtet, ſeque obſervet.

XIIX. Ovum, cujus utraque extremitas eſt obtuſæ, vel utraque acutæ convexitatis, vel cujus vitellus exterior eſt albumine,

intus deliteſcente, certum eſt ex ave immunda eſſe natum. Cujus altera extremitas acuta eſt, altera obtuſa, & cujus albumen eſt extra (*vitellum*) & vitellus intra (*albumen*,) poteſt eſſe ovum avis immundæ vel ovum avis mundæ. Itaque interrogandus eſt auceps qui vendit Iſraëlita. Qui ſi dixerit: Avis τῆς δεῖνα eſt (*ovum*) hoc, fueritque avis illa munda, innititur emptor, fidei) illius. Si vero dixerit: Avis mundæ, nec expreſſerit ejus nomen,* haudquaquam innititur illi.

XIX. Propterea non recipit quisquam ova a Cuthæis, niſi noverit illa, & intuitu oculorum agnoſcere poſſit, quod ſint ova avis τῆς δεῖνα mundæ. Neque ſoliciti ſunt (*noſtri*,) an ſint ova diſcerptæ, aut cadaveris.

* *Haud quaquam innititur illi.* Loquitur de Iſraëlita non ſatis perſpectæ integritatis. Alioqui enim: שאינו מכניס עצמו על הספק לוקחין ממנו בכתם qui nullam ſiniſtre de ſe ſuſpicandi occaſionem præbet, ab illo abſolute ova recipiuntur. *Rabad.* ad h. l. Cæteroqui ſigna ovorum, quæ enarrat *Autor*, deſumta ex *Chullin. f.* 64. *col.* 1. adeo ſunt incerta, ut de iis aſſerat *R. Moſes Kotzenſis interd.* 132. אין יש סמני הבצים לסמוך עליהם מפני שביצי עורב דומין לביצי יונה *Non poteſt fides haberi ſignis ovorum, quia ova corvi ſimilia ſunt ovis columbæ*; quod etiam docetur *Chullin l. c.*

ris. Diſcerpta autem ova a Cuthæis omnino non recipiunt.

XX. Signa ovorum piſcis, eadem ſunt quæ ſigna ovorum avis; Si utraque illorum extremitas obtuſa fuerit, vel utraque acuta, immunda ſunt. Si altera extremitas obtuſa eſt, altera acuta, conſulendus eſt venditor Iſraëlita. Qui ſi dicit: Ego illa condivi extracta ex piſce mundo, comedit ea (*emptor*,) verbis ejus fretus: Si vero dicit: munda ſunt; non invenit fidem, niſi homo ſit perſpectæ integritatis.

XXI. Et ſic non recipitur caſeus aut ſegmentum piſcis niſi ab Iſraëlita, quem fama fert eſſe recti tenacem. Sed * in terra Iſraëlis, cum amplus adhuc eſſet illic Iſraëlitarum numerus, ejusmodi merces a quovis qui terram incolebat Iſraëlita recipere licebat. Lac etiam a quovis Iſraëlita cujusvis loci recipi ſuevit.

XXII. Si quis condit piſces vetitos, muria illorum vetita eſt. Sed muria locuſtarum licita eſt, quia humore carent. Propterea non recipiunt muriam a Cuthæis,

 niſi

* *In terra Iſraëlis.* Hoc tempore, ciborum etiam ratione non alia eſt terræ ſanctæ conditio, quam terrarum gentilium, quod ex *c. XI.* patet.

niſi in ea repertus fuerit * vel unicus piſcis mundus fluitans.

XXIII. Si quis Cuthæus appellit cymbam onuſtam doliis muriæ apertis, & in uno eorum piſcis mundus invenitur, dolia omnia ſunt licita. Si vero clauſa ſunt, unum eorum aperit (*emptor*,) in quo ſi piſcem mundum invenerit, alterum aperit. Si in eo quoque repertus fuerit piſcis mundus, omnis muria cenſetur licita. Piſcem autem (conditum) ejusmodi eſſe oportet, cujus caput & ſpina dorſi illæſa perſtitit, ut agnoſci poſſit, quod ſit piſcis mundus. Propterea non recipiuntur a Cuthæis piſces contriti, ſaleque conditi, iique ſunt qui vocantur טרית טרופה ** *thynnus diſcerptus*; ſi autem agnoſci poteſt caput

* *Vel unicus piſcis mundus fluitans.* Piſciculum aliquem in ſolorum piſcium mundorum muria naſci credunt Ebræi, quem כלבית appellant, in *Avoda Sara c.* 2. *Miſchna* 6. ציר שאין בה דגה כלבית שוטטת בו *Muria cui piſcis Calbith non innatat, ex quo capite f.* 40. *col.* 1. etiam ſequentia Autor noſter hauſit.

** *Thynnus diſcerptus.* Vocem טרית *Bochartus Hierozoici P. II. l.* 5. *c.* 9. ex voce Arabica طري vertit piſcem

caput & ſpina dorſi piſcis, quamvis ſit contritus, accipere eum licet etiam a Cuthæo.

XXIV. Si quis Cuthæus affert vas repletum ſegmentis piſcis, quorum ſectio eſt æqualis, ut agnoſci poſſint ex eodem piſce omnes eſſe, inventæque fuerint in uno eorum ſquamæ, ſegmentis omnibus veſci licet.

---

piſcem recentem quemcunque. Sed hic *Majmonides* & Talmudici *c.* 2. *in Avoda Sara* & alibi loquuntur de piſce contrito & ſale condito, ut appareat, non iis eſſe de piſce recenti, ſed certa quadam munda piſcium ſpecie ſermonem שכותשין אותו עד שהוא שב כמו עיסה *quam contundunt*, *donec redigatur in formam maſſæ farinaceæ. Majm. Comm. ad Miſchn.* 6. *capitis* 2. *Av. Sar. Buxtorffius in Lexico Talm.* טרית vertit thynnum autoritate *Raſchi* nixus, qui exponit: thunina טונינא *ad Berachoth f.* 44. *col.* 1. horæa quoque melandrya, aliaque ſalſamentorum ex thynno genera veteribus nota fuerunt. Thynnum ſ. pelamidem ſquamis carere aſſerit *Ariſtoteles*, ſed Orcynus aliæque thynnorum ſpecies vulgares juxta caudam ſquamas habent. *Geſner. de aquat. p.* 690. *ſqq.*

 CAP. IV.

CAPUT IV.

De cadavere, diſcerpto, conjunctione vetitorum, bove lapidato.

QVicunque tantum quantum eſt oliva comedit de carne beſtiæ, quæ mortua eſt (*ſine mactatione legitima,*) aut feræ quæ mortua eſt, aut avis quæ mortua eſt, is vapulat, quia dicitur: *Deut.* XIV, 21. *NE comedatis ullum cadaver.* Quicquid autem non ut oportet, mactatum eſt, ecce illud mortuum eſt. In *Hilchoth Schechita* autem explicabitur, quænam mactatio legitima ſit, quænam illegitima.

II. Nihil vetitum eſt nomine cadaveris, præter ſpecies mundas ſolas, quia illæ ſolæ aptæ ſunt quæ mactentur, & ſi mactatæ forent mactatione legitima, aptæ etiam forent eſui. Quod vero ſpecies immundas attinet, quibus * non prodeſt mactatio, ſive illæ ut (*beſtias mundas mactari*) oportet,

* *Non prodeſt mactatio.* Iis enim, quæ legitima jugulantur mactatione, animalibus, ſi munda ſunt, tantum prodeſt, ut cum eadem, ſi ab alienigena, vel illegitime ab Iſraëlita fuiſſent mactata, illicita fuiſſent futura, comedere liceat. *Majm. Schechita* c. 1. &c.

tot, mactatæ, ſive ſua morte defunctæ fuerint, ſive quis ex vivis amputatam carnem comederit, non vapulat edens, nomine cadaveris aut diſcerpti; ſed eo nomine quod carnem immundi animalis comederit.

III. Qui * totam aliquam avem mundam devorat vivam, is eo nomine vapulat, quod comederit cadaver, propterea quia integram comedit, quamvis ne totius quidem avis caro olivam æquet. Si comedit eam totam poſtquam mortua eſt, ſive æquet magnitudine olivam, ſive tota non habeat tantum carnis quantum eſt oliva, quia totum rationem habet magnitudinis olivæ, reus eſt nomine cadaveris.

* *Totam aliquam avem. Chullin c. 7. tamen:* אמר רב אכל צפור טהורה בחייה בכל שהוא במיתה בכזית: *Dixit Rabb. Si quis avem mundam comedit viventem,* (æſtimatio fit) *quod totum; ſi mortuam, quoad magnitudinem olivæ.* Porro *Antor noſter*, eum qui vivam comedit, damnat nomine cadaveris. Qua in re diſſentientem invenit *Raſchi*, qui damnat reum משום אבר מן החי *nomine membri de vivente*, cum quo conſentit *R. Jom tobh. ad h. l.* Sed illorum ſententiæ opponi poteſt, quod nihil de ave vivum reſtet, & pro noſtro Autore afferri, quod devorata avis mactari nequeat, nec ſanguis ejus tegi.

IV. Quisquis tantum, quantum eſt oliva, comedit de carne abortiva beſtiæ mundæ, is eo nomine vapulat, quod cadaver comederit. Vetitum eſt veſci beſtia usque ad * octavam noctem ex quo nata eſt. Quicquid enim pecudum nondum octiduo duravit, eſt inſtar abortus. Non tamen quisquam propterea vapulat. Si cui autem certum perſpectumque eſt, quod fœtus menſes ſuos in utero exegerit & poſtea ſit natus, (tribuuntur vero pecudi majori menſes novem, minori quinque,) ecce eodem quo natus eſt die illo veſci licet.

V. Secundæ quæ cum fœtu naſcente prodeunt, vetitæ ſunt, nec tamen qui illis veſcitur vapulat, quoniam non ſunt caro.

VI. Quicunque tantum quantum eſt oliva, comedit de carne pecudis, feræ, aut avis, mundarum, quæ diſcerptæ fuerunt, is vapulat, quia dicitur: (*Exod.* XXII, 30.) *Et carnem in agro diſcerptam non comedetis; cani objicietis illam.* Diſcerptum, quod in Lege memoratur, eſt quod diſcerpſit fera

* *Octavam noctem.* Fœtus ante octavum diem non cenſetur perfectum animal, octavo tamen die mactari poteſt. *Schabbath. c.* 19.

fera ſylveſtris, v. g. Leo, pardus, & ſimiles. Pari modo avis diſcerpta ab ave rapaci, v.g. accipitre &c. Nec potes addere: quæ diſcerpſit occiditque illam. Si enim mortua eſt, cadaver eſt. Parumque intereſſe puto, an mortua ſit ſua morte, an aliquis gladio percuſſam interemerit, an leo fractam occiderit. Ecce non loquitur de eo quod diſcerptum eſt, nec tamen moritur.

VII. Si diſcerptum quod non moritur vetitum foret, tum v. g. ſi veniret lupus, hædumque prehenſum pede, cauda, vel aure raptaret, homo autem raptorem perſequens, prædam faucibus ejus excuteret, ea vetita foret. Ecce enim diſcerptum eſſet? Verum enim vero docemur his verbis: *Et carnem in agro diſcerptam* (*Exod.* XXII, 30.&c.) (*ejusmodi eſſe carnem*) quæ reddita ſit canibus apta. Ecce didiciſti, quod diſcerptum Lege memoratum ſit id, quod fera ſylveſtris diſcerpſit fregitque, ut ad mortem vergat, nec tamen mortuum ſit. Quamvis mortem quis prævertat mactando (*animal diſcerptum*) antequam exſpiret, vetitum tamen eſt nomine diſcerpti, quandoquidem per vulnera, quæ nactum

 erat,

erat, * fieri non poterat, ut vitam retineret.

IIX. Invenitur doctrina, qua Lex prohibet mortuum, id eſt cadaver, & qua vetat veſci vergente ad mortem ob vulnera ſua, quamvis nondum exſpiraverit, hoc eſt diſcerptum. Quemadmodum igitur non licet

* *Fieri non poterat ut vitam retineret.* Conſentientes ſibi habet Autor omnes Judæos, quia in *Chullin c.3.* hæc traditur regula: כל שאין כמוהו חיה טרפה *Omne id, cujusmodi nihil vitale eſt, diſcerptum eſt,* (quæ *infra hal.* 8. affertur,) conſtituiturque tempus, quo de vitalitate judicari poſſit ſpatium duodecim menſium. Regulam ſic explicat *R. Selomo Luria in Ammude Schelomo f.* 02. *col.* 2. *interd* 134. מדמין לה בהמה אחרת שיש לה מכה כהאי גונה אם תוכל לחיות בידוע ג"כ זו שנמצא בה סימן טריפה לאחר שנשחטה שהיתה יכולה להחיות i. e. *Comparant cum ea beſtiam aliam, eodem modo læſam, quæ ſi* vitam retinere poteſt, manifeſtum erit, quod etiam hæc, in qua ſimile ſignum diſcerptionis, poſtquam mactata eſt, repertum fuit, vitam retinere potuiſſet.* Nimirum omnes diſcerpti appellationem ad ea quoque extendunt, quæ morbo, contuſione, fractura, vulnere &c. lethali, affecta ſunt. Quamvis in Scriptura non niſi illud, ut verbis *R. Moſis Kotzenſis interd.* 134. utar, denotetur: שטרפה אותה חית היער ושברה אותה ונטה למות ועדיין לא מתה *Quod fera ſylveſtris diſcerpſit fregitque, ut ad mortem vergat, nec dum tamen mortuum ſit.*

licet diſtinguere in mortuo, ſive objerit beſtia aliqua morte ſua, ſive ſtrangulata exhalaverit animam, ſive a fera quadam diſcerpta occiſaque ſit; Ita neque diſtinguendum eſt in ea, quæ ad mortem vergit, num diſcerpta laniataque ſit a fera, an de tecto cadens plerasque coſtarum ſuarum perfregerit, vel lapſu gravi contuſa ſint membra illius, ſive immiſſa ei ſagitta pertuderit cor aut pulmonem ejus, aut morbus eam ex cauſa interna ortus invaſerit, & cor pulmonemve aut magnam coſtarum ejus partem corruperit &c. quia ad mortem vergit ex quacunque ratione, ecce illa eſt diſcerptum: ſive hujus damni cauſa fuerit penes carnem & ſanguinem, ive penes Deum. Si ita res habet, cur licitur in Lege *diſcerptum?* Id quod ſcriptum eſt, agit de re præſenti (*obvia*). Sic on procedit ſi concluſeris: Non prohietur niſi quod *diſcerptum eſt in agro*; ergo i quid in atrio diſcerptum eſt, id non erit etitum. Ecce igitur didiciſti, quod non oquatur Scriptura niſi *de re præſenti *obvia*).

IX. Sen-

De re præſenti. Raſchi locum *Exod. XX,* 31. ſic exponit: *Caro in agro diſcerpta. Eodem modo res domi*

IX. Senſus autem Scripturæ eſt, quod quicquid ad interitum vergit, ob læſionem corporis ſui, & propter imbecillitatem ſuam vitam retinere nequit, illud vetitum ſit. Hinc dixerunt ſapientes, hanc eſſe generalem regulam: Omne id, cujusmodi nihil vitale ſolet eſſe, diſcerptum eſt. In Hilchoth Schechita autem exponetur, *quinam morbus efficiat, ut beſtia diſcerpti

mi habet, ſed ponit Scriptura præſentem (communem) *locum* שדרך בהמות ליטרף *in quo ſolent beſtiæ diſcerpi. Sic: in agro invenit illam &c. Deut.* XXII, 27.

* *Quinam morbus.* Satis curioſe *in Tract. dicto*, ex *Chullin* morbos, & vulnera lethalia recenſet *Autor noſter*, quorum gravitatem adeo ſolicite indagarunt veteres, ut in *Gemara Sanhedrin c.* I. referatur: רב אשי כי הוה אתי טריפתה לקמיה מכניף ומייתי להו לכולהו טבחי דמתא מחזיא *Rabb Aſe ſi quando ſiſtebatur coram eo diſcerptum*, (ut de eo, ejusque lacte vel ovis judicaret,) *circumiens congregabat omnes lanios*, (utpote vulnerum pecori lethalium peritos,) *urbis Mechasjæ* (i. e. Soræ *R. Benjam. Maſſaoth. p.* 81. *ed. L'Emper.*) Multo ſuperſtitioſius tamen poſteri has morborum vulnerumque regulas ſequuntur, quas *e monte Sinai* מקובלים בידינו *traditione ad nos perlatas* credunt. *Jomtobh ben Abraham ad h. l.* Hinc *R. Selomo Luria Ammude Schelomo p.* 92. *col.* 2. *Omnino*, inquit, *non licet ullam aliam ſpeciem diſcerptarum ferarum, pecudum, aviumque addere illis, quas priorum*

diſcerpti nomine veniat, & quo morbo affecta immunis ſit ab appellatione diſcerpti.

X. Pari modo ſi quis carnem animali mundo adhuc viventi abſcindit, ea eſt diſcerpta. Ecce enim caro eſt beſtiæ, quæ nec mactata eſt, nec mortua alia morte. Quid enim refert an diſcerpſerit illam beſtia, an homo aliquid cultro præciderit? Quid refert an tota (*ſit diſcerptum*), an pars ejus? Ecce dicit (*Textus Sacer*): *Et carnem in agro diſcerptam.* Quando facta eſt caro in agro, tum eſt caro diſcerpta.

XI. Si qua pecus deficiente robore ſuo ægrotans ad mortem vergit, illa, quia non appa-

rum ſeculorum ſapientes numerarunt, qui in dicaſteriis Iſraëlis illas ſanxerunt. Quicquid enim extra illas eſt, vitale cenſeri debet, quamvis etiam ex medicinæ regulis notum compertumque foret, quod aliqua læſione laborans animal, ad ſanitatem nunquam reverſurum ſit; non tamen licet nobis prohibere; Sic enumerata illa, quæ dixerunt eſſe diſcerpta, (obſervanda ſunt, ut) *quamvis ex regulis Medicinæ perſpectum foret* שיש קצתם אינם ממיתים ואפשר שתחיה אין לך אלא מה שמנו חכמים *quod pars eorum* (vulnerum, morborumve,) *non ſit lethalis, poſſitque* (animal ægrum) *ſanitatem recuperare, id tua nihil refert, ſed id tantum quod dixerunt ſapientes, de quibus dicitur* (*Deut.* XVII, 11.) *Ad os legis quam docebunt te.*

XIII. Si quis pecus, feram, aut avem mactat, nec tamen effluit ſanguis, iis nihilominus veſci licet, nec quisquam dicit: fortaſſis jam ante mactationem exanimatæ fuerant. Pari modo ſi quis creaturam mactat eaque non palpitat, licita nihilo minus eſt. Sed ea quæ periclitatur, quæque ſtare nequit licet erigatur, quamvis eſca ſuæ ſpeciei congrua veſcatur, illa ſi mactata non palpitaverit, ecce cadaver eſt, & quisquis ea veſcitur, propterea vapulat. Si autem palpitaverit, licita eſt. Palpitationem vero in fine mactationis fieri oportet, in principio enim nihil valet.

XIV. Qua ratione fit iſta * palpitatio? Pecus minus, & fera major vel minor, ſi pedem anteriorem extendit reducitque, aut ſi pedem poſteriorem extendit, quamvis non reducat, vel ſi incurvat tantum pedem poſteriorem, ecce illa palpitatio eſt legitima, (*beſtiaque mactata*) eſt (*eſui*) conceſſa. Sed ſi anteriorem pedem tantum extendit nec reducit, vetita eſt. Hoc enim

* *Palpitatio.* A Talmudicorum placitis in hac deſcriptione Autorem noſtrum diſſentire credit *Autor Maggid Miſchne ad h. l.* Conſenſum autem ejus demonſtrat *R. Joſeph Karo in Ceſeph Miſchne ad h. l.* Conf. *R. Selomo Luria Amm. Schel. f.* 92. *col.* 2.

enim nihil aliud fuit, quam exhalatio animæ. In pecude autem majori, unus anterioris, & unus poſterioris, pedis (*motus ſufficit:*) Sive extenderit, nec tamen incurvaverit; ſive incurvaverit, nec tamen extenderit, ecce hæc eſt palpitatio, licitaque (*cenſetur beſtia.*) Si vero extendit pedem anteriorem, non autem poſteriorem, & omnino non incurvavit, ecce eſt cadaver. Sed avis modo oculis nictaverit, caudamque tantum motitarit, ecce palpitatio ea eſt legitima.

XV. Quum noctu quis beſtiam periclitantem mactar, nec novit an palpitaverit, nec ne, ecce dubium eſt, an ea ſit cadaver, adeoque eſt vetita.

XVI. Quæcunque Lege prohibita ſunt, illa non conjunguntur inter ſe, præter ea, quæ *Naziræo prohibita ſunt, quemadmodum ſuo loco demonſtratur. Propterea,

---

* *Naziræo probibita.* De Vitis proventu loquitur Autor. Nam : שלשה מינין אסורין בנזיר הטומאה והתגלחה והיוצא מן הגפן וכל היוצא מן הגפן מצטרפין זה עם זה *Tria diverſa Naziræo ſunt prohibita, pollutio, tonſura, & quod ex vite naſcitur. Sed omnia, quæ ex vite naſcuntur, miſcentur inter ſe. Nazir. c.* 6. *m.* I.

ea ſi quis accipit parum adipis, parum ſanguinis, parum de carne pecudis immundæ, parum de carne cadaveris, parum de carne piſcis immundi, & parum de carne avis immundæ, & porro ex aliis rebus vetitis, omnibusque ad tantum, quantum eſt oliva, junctis, hanc mixturam comedit, non vapulat; Idem de eo valet judicium, quod de eo, qui dimidiam partem dimenſionis comedit.

XVII. Omnia cadavera inter ſe junguntur, & cadaver diſcerpto quoque jungitur. Et ſic omnes pecudes feræque immundæ junguntur inter ſe. Sed caro cadaveris cum carne beſtiæ immundæ non conjungitur. Tali modo: Qui accipit aliquid de cadavere bovis, & cadavere capreoli, & cadavere galli, colligitque ex omnibus tantum carnis quantum eſt oliva, comeditque illud, is vapulat. Pari modo ſi conjunxerit quod mediam æquet olivam, de cadavere pecudis mundæ, & tantundem de carne diſcerpti, vel etiam tantum quantum eſt dimidia oliva de cadavere, & æque multum de carne animalis viventis mundi, (*comederitque*,) is vapulat. Par ratio eſt carnis cameli, porci, leporis. Si quis

enim ex his omnibus conjungit, quantum eſt oliva, illudque comedit, is vapulat. Si quis vero conjunxerit, quantum eſt dimidia oliva, de cadavere bovis, & quantum eſt dimidia oliva de carne cameli, non conjunguntur, & ſic quoque cætera. Sed caro pecudis immundæ, & avis immundæ, & piſcis immundi non conjunguntur invicem, propterea quia diverſa ſunt nomina. Ecce enim quodlibet illorum ſpeciale interdictum conſtituit, quemadmodum expoſuimus. Sed inter ſe junguntur omnes aves immundæ, quemadmodum & ſibi invicem pecudes feræque immundæ. Hæc eſt regula generalis: Omnia vetita eodem interdicto, conjunguntur; duobus autem interdictis prohibita, non conjunguntur; præter cadaver & diſcerptum, quia diſcerptum eſt principium cadaveris.

XIIX. Quicunque aliquid comedit de cadaveris aut diſcerpti vel beſtiæ aut feræ immundæ pelle, oſſibus, nervis, cornibus, ungulis, & unguibus avium, eo loco abſciſſis, quo ſanguis ebullit, & ſecundis earum, quamvis illa ſint vetita, a plagis tamen immunis eſt, quia hæc non ſunt

eſui

eſui apta, nec commiſcentur carni, ad æquandum magnitudinem olivæ.

XIX. Coagulum * cadaveris, & coagulum immundi licitum eſt; Ejusdem enim conditionis eſt, cujus reliquæ in corpore ſordes, & propterea licet caſeum coagulare coagulo pecoris, quod mactavit alienigena, imo & coagulo beſtiæ feræque immundæ. Ipſa autem coaguli pellis, eſt inſtar reliquorum inteſtinorum vetita.

XX. Pellis, quæ in facie aſini (*nonnunquam*) enaſcitur, licita eſt. Ratio enim

* *Coagulum cadaveris.* Spiritus S. ipſum animalis *ventriculum* vocat קבה *Deut. XIIX*, 3. Sed Talmudicis interdum, (Nam locum *Avoda Sara c. 2. m. 5.* qui eſt in reſponſione R. Joſuæ, non autem illum, qui eſt in exceptione R Iſmaëlis, ſupra c. 3. hal. 13. de pelle coaguli ſ. ventriculo intellexit *Autor*) ut & Maimonidæ noſtro, ſignificat τὴν πυετίαν τὴν ἐν τῷ καλουμένῳ ἐχίνῳ (potius ἠνύστρῳ) ut *Ariſt. de Part. An. l. 3. c. 15.* loquitur, ſ. *lac in ventriculo condenſatum*, quod & Talmudici permittunt *Chullin f. 116. col. 2.* אין מעמידין בעור קבת נבלה אבל מעמידין בקבת נבלה ובקבת שחיטת נכרי וכו׳ מאי טעמא חלב המכונס לה פרשא בעלמא הוא *Non coagulant pelle coaguli cadaveris, ſed tamen ipſo coagulo cadaveris, & coagulo pecudis ab alienigena mactatæ, &c. Quam ob cauſam? Quia lac in ventriculo collectum eſt inſtar excrementi jam egeſti.* Conf. *Celeberr. Edzard. ad Avoda Sara c. 2. m. 6.*

ejus eadem eſt quæ excrementi & urinæ, quæ licita ſunt. Dantur tamen pelles quædam pares carni, quarum ſi quis tantum comedit, quantum eſt oliva, eodem loco habetur, ac ſi carnem comediſſet, idque ſi eas comedit dum molles ſunt.

XXI. Horum itaque pelles carni pares ſunt: Pellis humana, pellis porci domeſtici, pellis tegens gibbum cameli, cui nondum ullum onus fuit impoſitum, nec onus attigit. Iſta enim adhuc mollis eſt, pellis pudendi & quæ ſub cauda eſt, pellis embryonis, pellis erinacei, lacertæ, ſtellionis, atque limacis. Omnes illæ pelles quoad omnia ſunt inſtar carnis, dum ſunt molles, tam quoad interdictum comeſtionis, quam quoad pollutionem.

XXII. Dictum eſt de * bove lapidibus obruto: (*Exod. XXI*, 28.) *NE comedatur caro*

* *De bove lapidibus obruto.* Proceſſum judicialem cum lis capitalis bovi intenditur, obſervandum, *v. Bava Kamma c.* 3. *&c.* Differt autem bos lapidibus obrutus ab alio quocunque bovis cadavere ratione uſus, cum videlicet aliorum diſcerptorum & cadaverum carnes alienigenis dare aut canibus objicere liceret; (quod præmium canibus pro obſervato erga Iſraëlitas ſilentio obtigiſſe creditur in *Schemoth Rabba*, obſervante *Men. ben Iſraël Concil. in Deut. qu.* 2.

caro ejus. Qui autem poterat fieri, ut comederetur caro illius, poſtquam lapidibus obrutus erat? Ecce enim ille foret cadaver. Non igitur alia eſt Scripturæ mens, quam ut doceat te, quod quando finitum eſt de bove quodam judicium,

 (*isque*

qu. 2.) At ex eo, quod cani objicir, aut Cuthæo donat, aliquid uſus capit Paterfamilias. Quamvis non exerceatur mercatura לא בנבילות ולא בטרפות ולא בשקוצים ולא ברמשים *neque cadaveribus, neque diſcerptis, neque abominandis, neque repentibus. Scheviith. c. 7. m. 3.* Aſt ipſe etiam uſus carnis immundorum poſt mortem eorum erat vetitus. *Bava Kamma Ieruſ. c. 7. ſub fin.* מה ת״ל וטמאים יהיו לכם אחד איסור אכילה ואחד איסור הנייה *Quid ſibi volunt verba (Lev. XI, 35. &c.) Et immundi erunt vobis? Tam quoad interdictum eſus, quam quoad interdictum uſus.* Oſſibus tamen, pellibus, nervisque ubi induruerint uſibusque ab artifice aptata fuerint, uti licet, *Maggid Miſchne ad halach. præced.* A bobus igitur ad aſinos deſcendit bos lapidibus obruendus, ſimulac in eum lata eſt ſententia, quamvis nondum executio ei ſucceſſerit. Nam שור היוצא להסקל והקדישו בעליו אינו מוקדש שחטו בשרו אסור *Bos qui a judicio exit ut lapidibus obruatur, ſi vel a Domino ſuo conſecratur, capax non eſt conſecrationis, ſi mactatur ab eo, caro ejus vetita eſt. Bava Kamma c. 4.* Imo ita vetita, ut *nec canibus nec Cuthæis eam dare liceat, ſed ſit* אסור בהנאה *uſibus interdicta. Peſach. c. 2.* Conf. *Raſchi ad Exod. XXI, 28.*

(*iſque damnatus eſt,*) ut lapidibus obruatur, vetitus ſit, factusque par beſtiæ immundæ. Si quis autem pœnam capitalem præverteret legitima eum mactatione jugulando, vetitum foret eo frui, & ſi quis carnis ejus tantum, quantum eſt oliva, comederet, is vapularet. Porro quando lapidibus obrutus eſt, vendere eum non licet, nec canibus objicere, nec donare Cuthæis. Propterea dictum eſt: *NE comedatur caro ejus.* Fimo autem bovis lapidibus obruti licet uti. Si poſt dictam jam ſententiam cognoſcitur eum falſo crimine damnatum eſſe lapidationis, v. g. ſi mendacii convincuntur teſtes, qui adverſus eum producti fuerunt, (*libere*) exit, & inter armenta reliqua paſcitur; Si autem innocentia ejus demum, poſtquam lapidibus fuit obrutus, innoteſcit, ecce illo frui licet.

CAPUT V.

De membro animalis vivi, & fœtus nondum nati.

TRaditione Doctores noſtri a ſuis majoribus acceperunt verba iſta Legis

gis (Deut. XII, 23.) *: *NE comedas* (de eo, cujus) *anima* (eſt) *cum carne*, ſignificare, quod vetitus ſit eſus membri de vivo animali reſecti. Imo quod de membro etiam viventis intelligenda ſint verba Dei ad Noachum: ** (Gen. IX, 4.) *Sed carnem*

 (ejus,

* *Deut. XII*, 23. Receptisſima eſt inter Judæos hæc interpretatio, nec a veritate aliena. Cum enim in præcedente hemiſtichio Deus eſum ſanguinis prohibuerit, hic eſum membri de vivente interdicit, conceſſæ libertati pro lubitu carne veſcendi in terra Iſraëlitica, (quo indultu non fruebantur in deſerto, utpote mera comedentes ſacrificia pacifica,) duo interdicta addens, etiam cum mundis animalibus veſcerentur, obſervanda, quorum poſtremum eſt circa quod hic verſamur לא תאכל הנפש עם הבשר quod exponit *R. Levi ben Gerſom*: ר"ל לא תאכל מה שהנפש בו עדין עם הבשר והוא אבר מן החי. ר"ל כי עדין יש בנפש כח לשלח באבר ההוא הצריך לו מן המזון *non comedes illud, in quo anima adhuc eſt cum carne, i. e. membrum de vivente, nimirum quia anima adhuc habet facultatem, qua immittere poſſet in illud membrum, neceſſarium illi nutrimentum. Comment. in Leg. f.* 218. *col.* 1.

** *Gen. IX*, 4. Quod hoc loco Deus cunctis Noachi poſteris prohibuerit membrum animalis vivi, conſentiunt omnes Judæi, num ſimul etiam interdixerit eſu ſanguinis, ſub judice lis eſt. Affirmant nonnulli nixi aſſerto R. Chaninæ filii Gamlielis *Gemar. Sanhedr. c.* 7. *f.* 56. & 59. cum tamen non niſi per accommodationem ſatis duram interdictum intelligi poſſit de ſanguine. *Raſchi* huic ſententiæ videtur

(ejus, ſc. animalis) *in quo* (*vivo*) *eſt ſanguis ejus*, *ne comedatis*. Prohibitum autem his Legibus cenſetur membrum vivæ pecudis, feræ vel avis mundæ; non autem animalium immundorum.

II. Ali-

detur accedere, ſimul cum altera veriore & receptiore etiam hanc afferens: בנפשו דמו אסר להם אבר מן החי כלו׳ כל זמן שנפשו בדמו לא תאכלו הבשר בנפשו דמו בעוד בפשו בו בשר בנפשו לא תאכלו הרי אבר מן החי ואף דמו לא תאכלו הרי דם מן החי: *Verbis*, inquit, *iſtis*: In cujus anima eſt ſanguis ejus, *probibet iis membrum animalis viventis*, *quaſi diceret*: *quamdiu anima ejus eſt in ſanguine ejus*, *ne comedatis carnem*. *Verba*: In cujus anima ſanguis ejus, *idem valent*, *quod*: *dum anima ejus in eo eſt*. Carnem in anima ſua ne comedatis, *ecce membrum de vivente*. Sanguinem etiam ejus ne comedatis, *ecce ſanguinem de vivente*. Comment. ad Gen. IX. Contraria tamen ſententia, qua membri tantum de vivente eſus, non autem ſanguinis, Noachidis creditur prohibitus, firmiora non modo in textu, ſed & in traditione fundamenta invenit. Si enim interdictum ſanguinis locum haberet inter præcepta Noachidarum, non amplius illa forent ſeptem, ſed octo, cum tamen ſeptem tantum numerent tam qui ea Adamo tradita volunt omnia, quam qui hoc ſeptimum in promulgatione Noacho facta, ſex antiquioribus adjunctum eſſe exiſtimant. *Sic R. Joſeph Albo in Sepher Ikkarim. f. 68. ed. Job. de Fari*: אמרו רבותינו ז״ל כי בתחלת היצירה מיד נצטווה אדם על שבע מצוות כמו שבארו

זה

II. Aliud eſt membrum, quod præter carnem & nervos, oſſa quoque habet, cujusmodi eſt manus, aut pes &c. aliud autem membrum oſſe caret, ut lingua, teſtes, ſplen, renes, cor & ſimilia. Poſterioris hujus

זה במסכת סנהדרין פרק ארבע מיתות *Doctores noſtri f. m. dixerunt, quod a principio creationis ſtatim imperata ſint Adamo ſeptem præcepta: quemadmodum demonſtrarunt Sanbedrin c. 7. Conf. Seder Olam rabba c. 5.* Et *Maimonides* noſter ſeptem tantum præcepta numerat, quorum ſeptimum Noacho traditum ſit interdictum membri de vivente, ſex reliqua Adamo poſt lapſum injuncta notisſimo ordine recenſet: על ששר דברים נצטווה אדם הראשון על עז ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל גילוי עריות ועל הגזל ועל הדינין *De ſex rebus primo homini præcepta data ſunt: de Idololatrta, da blaſphemia nominis divini, de effuſione ſanguinis, de concubitu illicito, de furto ſ. rapina, de Judiciis; Tr. Melachim. c. 9.* Refellitur itaque poſterior expoſitio illarum, quas affert *Raſchi* a *R. Moſe Nachmanide:* כתב רשי־בשר בנפשו לא תאכלו הרי אבר מן החי ואף דמו לא תאכלו הרי דם מן החי וזה כפי הפשט איננו נכון ולפי המדרש איננו אמת שלא נצטוו בני נח אלא על אבר מן החי כדברי חכמים ולא על דם מן החי כדברי ר' חנינה בן גמליאל *Raſchi ſcribit: Carnem in anima ſua ne comedatis, ecce membrum de vivente; ſanguinem etiam ejus ne comedatis, ecce ſanguinem viventis: hæc autem ejus expoſi-*

hujus generis membra, quæ videlicet eſſe carent, ſive tota quis amputaverit, ſive partem

expoſitio ſecundum ſenſum literalem fundamento caret, & ſecundum ſubtiliorem interpretationem veritate deſtituitur. Nam filiis Noachi tantum de membro animalis viventis interdictum eſt traditum, ut recte exiſtimant Sapientes; non autem de ſanguine animalis viventis, ut falſo opinatur R. Chanina ben Gamliel. Conf. *Selden. de Jure Nat. & Gent. l. VII. c.* 1. *R. Levi ap. Hotting. Juris Ebr. p.* 59. & 148. *Gemar. Sanhedr. c.* 7. *f.* 59. *Chullin c.* 7. *f.* 161. & 162. Ipſe tamen Nachmanides non felicior eſt in ſua expoſitione quam Raſchi. Nam appoſitionem ſtatuit in verbis: *in anima ſuo ſanguine ſuo:* פירושו בשר בנפשו שהוא דמו לא תאכלו כי נפש כל בשר דאו הוא *Id eſt,*inquit,*carnem in anima ſua, quæ eſt ſanguis ejus, ne comedatis. Nam anima omnis carnis eſt ſanguis ejus.* (Lev. XVII, 14.) *Comment. ad Gen. IX.* Sed illa appoſitio non alium oſtenderet ſenſum, quam non comedendam eſſe carnem in ſanguine, i. e. vel ſanguinolentam, vel in ſanguine coctam, vel cum ſanguine, quæ omnes interpretationes abeunt (ne quid dicam amplius) a traditione; cui ipſe Nachmanides calculum adjicit, quæ docet hoc loco prohiberi membrum animalis vivi, ſive cruentum, ſive a ſanguine mundatum, ſive crudum, ſive coctum, ſive aſſum, ſive elixum. Eundem errorem errat *Abarbanel*, gnarus quidem intelligendum eſſe h. l. membrum animalis vivi, ſed minus tamen accurate ellipſin, quam hic plerique omnes agnoſcunt, ſupplens; אסר להם אבר מן החי שהיא אכזריות יותר גדול והוא אמרו אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו

partem eorum, vetita ſunt, eo quod ſunt membra viventis. Si autem membrum reſectum

---

תאכלו ובית בנפשו תשמש במקום עם כמו ברכבו ובפרשיו בתופים ובמחולות יאמר הכתוב ובשר בהיות עם נפשו דמו לא תאכלו מהבשר ההוא *Prohibuit illis membrum viventis, quia illo veſci ſumma eſt crudelitas, h. e. quod dicit :* Sed carmem in anima ejus ſanguis ejus comedatis. *Litera* ב *in hoc loco ſervit pro* עם cum, *ut in illis :* (Ex XIV, 17.) *cum curribus & equitatu ſuo, &* (c. XV, 20.) *cum tympanis & tibiis,* ut ſit *hic ſenſus Scripturæ : Carnem, dum ſanguis ejus cum anima conjunctus eſt, ne comedatis. Comment. in Leg. p.* 38. *Ed Hannov.* Sed & ille dum ſuffixum ו putat reſpicere nomen בשר fallitur. Referendum enim eſt ad pronomen אשר cum præcedente voce *animal* vel *id*, aut alia quæ per Ellipſin ſubintelligitur, quippe cum anima nŏn ſit membri aut partis, ſed animalis. *Aben-Eſra* in eadem partim cum Abarbanele, partim cum Nachmanide eſt ſententia : כן טעמו אך בשר עם נפשו שהוא דמו לא תאכלו כטעם לא תאכל הנפש עם הבשר כי נפש כל הבשר דמו בנפשו הוא וזאת הנפש המתנועעת והמרגשת היא גוף: *Senſus ejus eſt : etiam carnem cum anima ſua, quæ eſt ſanguis ejus, ne comedatis, velut idem ſenſus obtinet in illo :* (*Deut. XII,* 23.) *ne comedas* (de eo, cujus) *anima eſt cum carne, nam anima omnis carnis ſanguis ejus in ipſa eſt.* (*Lev. XVII,* 14.) *Et iſta anima locomotiva & ſenſitiva eſt corporea. Comment. ad Gen. IX,* 4. Utcunque autem interpretes laborent circa vocem בנפשו, partim eam cum voce דמו trans-

reſectum ejusmodi fuerit, ut oſſa habeat, qui comedit, tum demum reus cenſetur, ſi car-

transponendo, partim aſſerendo quod ב voci עם æquipolleat, minus in hac propoſitione eſt difficultatis, quam exiſtimant qui nodos in ſcirpo quærunt: Quæ enim ellipſis frequentior eſt in ſtilo V. T. quam pronominis relativi אשר cum ſuo antecedente, ut: 1. Par. XV, 12. אל־הכינותי לו *adpræparavi ei*, pro אל מקום אשר *ad locum quem præparavi ei. Conf. Jer. II*, 8. 11. *LI*, 3. Prov. IIX, 21. &c. Ita h. l. *Carnem in eo ſanguis ejus*, per Ellipſin pro: *carnem animalis in quo eſt ſanguis ejus*, aut: *carnem ejus* (videlicet pecudis, feræ, vel avis) *in qua eſt ſanguis ejus.* Ne autem quisquam exiſtimet, prohiberi hic quoque carnem ſuffocati animalis, quippe cum in eo etiam poſt mortem ſit ſanguis ejus, pro particula בו, (quæ alioquin ſequi poterat relativum אשר aut מאשר aut ממה אשר hic ſubintelligendum, ut ſignificaret *de eo in quo*,) Spiritus S. uſurpat pronominis inſtar vocem בנפשו, quæ quidem creditur nominaliter non tantum pro anima, corpore animato &c. ſed & pro corpore exanimi adhiberi. Sed cum pronominis vice fungitur, ejusmodi tantum ſubjectum denotat, quod vivum eſt, ut: *Jer. LI*, 14. *Juravit* בנפשו *per ſeipſum* (vivum) *Eſ. XLVI*, 2. נפשם *Ipſi (vivi) in captivitatem abierunt. Eſ. V*, 14. הרחיבה שאול נפשה *dilatat infernus ſeipſum* (per metaph. vivum. Hic enim cum voraciſſimo gulone, vel alio animali, quod prope totum venter eſt, comparatur.) *Lev. XVII*, 14. נפש כל בשר דמו בנפשו הוא *Anima omnis carnis ſanguis ejus in*

ſi carnem, nervos & oſſa nativo ſuo nexu cohærentia abſcidit: Si quis autem ex vivente ſolam carnem decerptam comedit, propterea reus eſt nomine diſcerpti*, quemadmodum expoſuimus.

III. Qui tantum, quantum eſt oliva, de membro viventis comedit, vapulat; qui membrum integrum comedit, quod magnitudine olivam æquat, reus eſt, ſi vero non æquat olivam, impunis eſt. Qui carne, nervis & oſſibus ut natura coaluerunt, reſectis, veſcitur, vapulat, imo & quamvis pars illa membri** carne careret, quia partem

in ipſo (vivo) *eſt.* Niſi enim in poſtremo hoc loco ſubintellexeris ſubjectum vivum, multa ſequentur minus congrua ex loco male percepto. Senſus igitur interdicti *Gen.* IX, 4. hic eſt: *Ne comedatis carnem* (animalis,) *in quo* (adhuc vivo) *eſt ſanguis ejus*, ſeu: Membrum animalis vivi ne comedatis. Adeoque fruſtra *ſuſpicatur* Spencerus, *præceptum illud de membro vivi non comedendo principium ejus nugaci Rabbinorum cerebro debuiſſe De Leg. Hebr. Rit.* libr. II. Diſſ. ad Act. 15. 20. cap. 2. cum ſatis firmis divinæque autoritatis oraculis hoc interdictum nitatur, quamvis purpuræ divini edicti variæ conſtitutionum laciniæ ſint aſſutæ.

* *Nomine diſcerpti.* Quia videlicet, licet partem aliquam membri comederit, non tamen membrum abſcidit, ſed carnem tantum. *Conf. c. IV. n.* 9.

** *Quamvis pars illa membri carne careret.* Ideo nimirum, quia membrum, vel partem membri, in quo eſt

tem illam, quantacunque erat, comedit. Si vero, poſtquam membrum de vivente reſcidit, carnem a nervis & oſſibus ſeparavit, tum demum vapulat, cum ſolius carnis, quam comedit, quantitas olivam æquat. Nec carni illius membri nervi & oſſa accenſentur, ut expleatur, ſi quid ad æquandam magnitudinem olivæ deeſt, poſtquam ſeparatis ſingulis, membrum nativam figuram mutavit.

IV. Si quis membrum ejusmodi in partes minutiores diſſectum ita comedit, ut ſingulis bolis exiguum ſegmentum deglutiverit, & ſic paulatim tantum carnis abſumpſit, ut ea molem olivæ æquet, * reus eſt, ſin minus comedit, a pœna liberatur. Si

eſt os, integram ſolidamque comedit; contra ſi caro membri, olivæ magnitudinem excedit, & reus non totius membri carnem, ſed tantum, quantum olivam æquat, ab oſſibus decerptum comedit, vapulat, רמחייב אאבר אעג דאין שיעור בבשר יאבשר אעפי שאינו אבר *Reus enim cenſetur comedens, propter membrum, quamvis caro ejus non habeat menſuram olivæ, & propter carnem, quamvis ea non ſit integrum membrum. R. Selomo Luria Ammude Selomo int.* 136.

* *Reus eſt.* Videlicet ſi non effluxit tantum temporis, מתחלה יעד סוף כדי אכילת שלש בצים *ab initio comeſturæ usque ad finem, quanto abſolvi poteſt*

Si de membro, quantum eſt oliva, abſcidit, nativo nexu cohærente carne cum nervis & oſſibus, illamque particulam integram comedit, reus eſt, quamvis in ore comedentis, antequam deglutiret, ſingula ſeparata fuerint.

V. Si quis membrum vivi animalis avellit, ita ut ejus membri jactura animal illud fiat * diſcerptum membrumque iſtud comedit, duplici ſupplicio afficiendus eſt, nomine membri de vivente & nomine diſcerpti. Duo enim interdicta eadem actione læſit. Sic qui adipem vivo animali exſectum comedit, bis vapulat, ſemel nomine membri de vivente, iterumque quia adipem comedit, ſi autem adipem a corpore animalis diſcerpti avulſum voravit, ter vapulat.

VI. Carnem beſtiæ ** tabidam & membrum

poteſt comeſtura trium ovorum. Cap. XIV. n. 8. Si enim plus temporis effluxit, antequam reus tantum carnis abſumeret, quantum eſt oliva, ſeu minus comedit, quam eſt oliva, liber eſt a מלקית ſeu non vapulat loro ex Lege; infliguntur tamen ei plagæ, videlicet מכת מרדות *verberatio rebellionis*, ex decreto Sapientium.

* *Diſcerptum.* Conf. *Hilchoth Schechita c. IX. &c.*

** *Carnem tabidam.* Videlicet patet hoc ex Chullin c. 4.

brum ejus tabidum, ſi non poteſt ad priſtinam ſanitatem redire, quamvis non deciderit, antequam beſtia mactetur, comedere vetitum eſt, nec tamen idcirco quisquam reus vapulat. Si autem beſtia morbo mortua eſt, caro illa ejusdem conditionis habetur, ac ſi de vivo animali cadiva fuiſſet, adeoque ea veſcentes vapulant. Si autem caro tabida quidem eſt, ſed ita, ut

c. 4. f. 73. p. b. ובשר כשרה טריפה להביא האבר והבשר המדלדל בבהמה ובחיה ובעוף ושחטן ואמר רבה בר בר חנה אמר ר׳ יוחנן אין בהן אלא מצות פירוש בלבד *Dicitur:* (Ex. XXII, 30.) Et carnem in agro diſcerptam, *ut includatur pecudis, feræ, vel avis caro & membrum tabidum, cum illæ mactantur. Dixit Rabbę filius bar Channæ dixiſſe R. Jochananem, nihil in ejusmodi caſu aliud obſervandum eſſe, quam præceptum ſeparandi.* Sed אמר רב אכלו לוה לוקה *Rab ait: Si quis* ejusmodi carne aut membro *veſcitur, propterea vapulat.* Nec tamen diſſentiunt Doctores דהויא דרבי יוחנן כשנשחטה והויא דרב כשמתה דמיתה עושה ניפול פרש כבר מחיים והוה ליה אבר מן החי ושחיטה אינה עושה ניפול *Aſſertio etenim R. Jochananis tum locum habet, cum animal mactatum eſt; Rabi autem cum* (ſine mactatione) *mortuum eſt. Quicquid enim mors facit cadivum, jam ante a vita receſſit, & factum eſt membrum de vivente; Mactatio autem nihil facit cadivum.* Conf. *Maggid Miſchne ad h. l.*

ut ſanitatem recuperare poſſit, illa mactatâ beſtiâ licita eſt.

VII. Si quis luxat membrum, aut comprimit, aut conterit illud, v. c. ſi quis teſtes conterit aut nexu ſuo emovet, ecce ejusmodi caro (*poſt legitimam mactationem*) non eſt Lege vetita, quia in ea eſt aliquid vitæ, quod eam a putredine defendit: Quamvis autem ita res habeat, ejusmodi caro vetita eſt ex conſuetudine Iſraëlitarum perpetua, quia ſimilis eſt membro de vivente.

IIX. Membrum cujus* os fractum eſt, i pellis aut caro obtegit pleramque partem craſſitiei ejus oſſis quod fractum eſt, : pleramque partem circumferentiæ ejus ici quo fractum eſt, licitum eſt; Si autem s prominet pelle & carne nudatum, ecce illud

Os fractum eſt. Oſſa quædam ſunt, quæ cum franguntur, animal cenſetur diſcerptum. v. *Schechita* c. 9. Hic autem de iis tantum ſermo eſt, quæ, licet frangantur, non faciunt ut animal inter diſcerpta numeretur. Obſervat *Maggid Miſchne*, in quibusdam Codicibus Majmonidæ legi: רוב עביו או רוב הקן *pleramque partem craſſitiei ejus, aut pleramque partem circumferentiæ*, ſed legendum eſſe ורוב הקן *& pleramque partem circumferentiæ*, patet ex *Chullin c.* 4. *f.* 7. *b.* unde hæc deſumta ſunt.

illud vetitum eſt. Cum quis igitur ejusmodi vulnere affectam beſtiam aut avem mactat, abſcindi membrum eo loco, quo os fractum eſt, oportet, & reliqua caro erit licita; Si oſſis fracti pleramque partem caro quidem obtegit, ſed illa ipſa caro eſt rupta, aut putrefacta, ſicut caro, quam chirurgus abſcindere ſolet, aut plura loca diverſa nec continua ſunt connumeranda, ut oſtendatur, quod pleraque fracti oſſis pars tecta ſit, aut caro, quæ os fractum velat, pluribus velaminibus compuncta, aut fiſſa, aut perforata inſtar annuli, aut abraſa eſt, ita ut non niſi inſtar corticis ſuperſit, aut ſi caro exeſa eſt ab interiori parte verſus os, ita ut non tangat quamvis tegat os, ſententia Doctorum eo veſci prohibet; donec caro illa recuperet ſanitatem, ſi quis autem eo veſcitur, plagis rebellionis plectitur.

IX. Si quis manu in viſcera beſtiæ immiſſa, de ſplene vel renibus aliisve avulſam particulam inter inteſtina relinquit, particula illa nomine membri de vivente vetita eſt, quamvis intra viſcera ipſius animalis remanſerit. Si quis autem de fœtu nondum nato tali modo abſciſſam particulam

culam non extrahit, ſed poſtea ipſam Matrem mactat, ecce ejusmodi membro fœtus reſecto veſci licet, quia non extractum fuit. Si fœtus anteriorem aut poſteriorem pedem, priusquam naſcitur, extendit, membrum illud perpetuo vetitum cenſetur, ſive abſciſſum ſit antequam mater ejus mactetur, ſive poſtquam mactata eſt, quamvis membrum illud in viſcera matris reduxerit, & poſtea mactatus fuerit fœtus, vel in lucem editus pluribus annis vixerit, membrum tamen illud nomine diſcerpti vetitum eſt, quia omnis caro, quæ terminos ſuos reliquit, vetita eſt, inſtar carnis, quæ a vivo corpore eſt ſeparata, ſicut dicitur: (Ex. XXII, 30.) *Et carnem in agro diſcerptam* &c. i. e. Quando caro pervenit in locum, qui ei eſt inſtar agri, diſcerpta cenſetur, * quemadmodum expoſuimus.

X. Si partem aliquam membri emittit, ita ut pars intus maneat, quamvis hæc quæ remanſit minima ſit, quod egreſſum fuit vetitum, quod intus relictum fuit, licitum eſt, & ſi quis partem membri, quæ egreſſa fuerat, poſtquam (*fœtus*) eam reduxit, mactataque eſt (mater ejus,) abſcindit, illud

 quod

* *Quemadmodum expoſuimus.* nempe c. IV. n. 8. 9. 10.

quod prominebat ſolum vetitum eſt, reliquum autem licitum; Si autem (*fœtus*) non reduxit, ſed (*aliquis*) membrum illud abſcidit, adeoque pars ea foris eſt, ſive abſciſſa ſit ante, ſive poſt mactationem, etiam ipſe locus, quo membrum reſectum eſt, ſeu qui abſciſſo membro aëri expoſitus eſt, vetitus cenſetur; adeoque abſciſſo membro, quod eminebat, redeundum eſt ad demetendum locum, a quo membrum reſectum eſt.

XI. Si quis membrum fœtus ante mactationem matris eminens abſcindit, ita ut extra locum ſuum maneat, illudque comedit, propterea vapulat, eo nomine quod membrum de vivente comederit, quamvis mortuus foret fœtus ante mactationem (*matris.*) Si vero poſt mactationem abſcidit comeditque, non vapulat (*ee nomine*, *ſed nomine diſcerpti*) quamvis mortuus foret fœtus. Si autem pecus ipſum (*morbo*, *caſu*, *aut vulnere*) periit, & poſtea quis ejusmodi membrum abſciſſum comedit, vapulat eo nomine, quod membrum de vivente comederit.

XII. Cum quis fœtus membrum quoddam exerit, illudque hac ratione factum

eſt

eſt eſui interdictum, & poſtea in lucem editur; eſtque (*fœtus ille*) fœmina, non licet unquam lac ejus bibere dubii cauſa. Lac enim ex omnibus membris oritur; at in ea quoddam eſt membrum, quod vetitum eſt; adeoque eadem eſt ratio hujus lactis; quæ eſt, cum lac animalis diſcerpti cum lacte mundæ pecudis confunditur.

XIII. Si quis prægnantem beſtiam mactans, in ea invenit fœtum vivum vel mortuum, illo veſci licet, imo & ſecundis; Sed ſi ſecundarum pars prodiit, eæque fœtui adhærent, cum beſtia mactatur, illa pars, quæ prodiit, ſola vetita eſt, reliquam comedere licet; ſi vero non adhæret fœtui, tota vetita eſt. Periculum enim eſt, ne his ſecundis, quarum pars prodiit, incluſus fuerit fœtus alius, qui perierit, & ſecundæ fœtus illius, qui in utero repertus eſt, pari modo perierint, & vix puto opus eſſe ut addam, ſi nullus fœtus in utero reperitur, ſecundas omnino eſſe vetitas.

XIV. Si quis beſtiam fœtam mactans, in ea fœtum invenit, is quamvis jam menſes ſuos in utero repleverit, & vitalis eſſe potuiſſet, non eget nova mactatione, ſed ut

eo veſci liceat, ſufficit matrem ejus eſſe mactatam; Si vero * in ſolum prodiit nova mactatione opus eſt.

XV. Si quis dilanians beſtiam aut diſcerptam mactans, in ea fœtum invenit vivum partuique vicinum, tum ut licite comedat eum, nova mactatione opus eſt, nec ſufficit quod mater ejus mactata ſit; Si vero nondum partui vicinus eſt, quamvis vivus in viſceribus reperiatur, veſci illo non licet, cum eodem loco habeatur ac aliud quodvis matris ſuæ membrum. Fœtus qui nondum natus caput extendit, iterumque reducit, licet mater ejus mactetur ante partum, non redditur eadem jugulatione eſui aptus, ſed nova eget mactatione, perinde ac ſi jam in lucem editus foret.

---

* *In ſolum prodiit.* הפריס על גבי קרקע *Philippus Aquinas* exponit: שהלך הילוך בפרסותיו על הארץ *ut ambulaverit ambulationem ungulis ſuis innixus ſuper terram. Diction. p.* 447. Non multum disſidens a *R. Selomone Iſaacio*, qui interpretatur עמד על גב פרסותיו על גב קרקע *ſi ungulis ſuis in ſolo conſtituit.*

CAP. VI.

CAPUT VI.

De ſanguine.

QVicunque ſanguinis tantum, quantum eſt oliva, ſciens volenſque comedit, * reus eſt excidii; Sed qui errore aliquo comedit, tenetur offerre ** ſacrificium pro peccato fixum. Et ex

* *Reus eſt excidii.* Graviſſimis enim verbis hanc pœnam minatur Legislator Deus, inprimis Lev. XVII, 10. *Vertam iram meam in eum, qui ſanguinem comedit, & exſcindam eum e medio populi ſui.* Quapropter etiam inter triginta ſex delicta, quibus reus excidii pœnam promeretur, recenſent Talmudici, האוכל דם *eum qui ſanguinem comedit. Cerethoth. c. m. I.* Cæterum כל אלו חייבים על זדונם כרת ועל שגגתן חטאת *Omnes illi ſcientes volentesque peccarunt, rei ſunt excidii; ſi errore aliquo, offerre eos oportet ſacrificium pro peccato. ibid. m. 2.*

** *Sacrificium pro peccato fixum.* Sacrificia pro peccato, quæ a privatis olim offerebantur, duorum erant generum. Vel enim reſpectu divitiarum aut paupertatis ejus, qui ſacrificium offerebat, variari poterant: Sic v. c. *Lev. V.* quædam enumerantur delicta, quorum rei, niſi res domi anguſta prohibebat, offerre tenebantur agnam vel capram, v. 6. Si vero paupertas tam lautum ſacrificium facere vetabat, oportebat eos offerre turtures duos vel totidem pullos columbarum v. 7. Si ne hi quidem propter penuriam ſuppetebant, ſufficiebat ſi reus offerret decimam partem Ephæ ſimilaginis v. 11. *Conf.*

Lege manifeſtum eſt, quod non niſi is reus ſit, qui quemcunque ſanguinem pecudis, feræ vel avis mundæ aut immundæ abſumpſit, quia ſcriptum eſt: (*Lev. VIII, 26.*) *NE comedatis ullum ſanguinem avis, aut beſtiæ, in ulla habitationum veſtrarum.* Fera autem ſub nomine beſtiæ comprehenditur, cujus ſignificationis exemplum habemus cum dicitur: (*Deut. XIV, 4. 5.*) *Hæ ſunt beſtiæ,*

Conf. Lev. XII, 7. 8. Quoniam igitur ab alio aliud offerebatur ob idem delictum, appellari ſolebat קרבן עולה ויורד *ſacrificium aſcendens & deſcendens.* Vel ſixum & invariatum manebat, nec paupertate vel divitiis offerentis mutabatur. Hoc erat quod חטאת קבועה *ſacrificium pro peccato fixum* vocant. Conf. *Maymon. in princip. Comment. ad Ceretboth.* Quamvis Abarbanel exiſtimet, quod varietas illa reſpectu opum, לא נתיחד לבד בחטאת הנפש ששמעה קול אלה ונטמאה בדבר טמא או תשבע לבטא שפתים אבל שהוא דין כולל לכל מה שזכר מעם הארץ שחטא כי אחרי שזכר מיניו אמר על כלו ואם לא תגיע ידו דישה *non tantum referenda ſit ad ſacrificium pro peccato hominis, qui audivit vocem exſecrationis, aut aliqua re pollutus eſt, aut juravit præcipitantia labiorum, ſed quod ſit regula univerſalis, ſpectans omnia peccata privatorum, quæ commemoravit* (Legislator) *poſtquam enim ſpecies eorum recenſuit, de omnibus dicit: Si vero non eſt in manu ejus facultas præſtandi pecudem. Comment. ad Lev. V.* Conf. *ejusd. præf. Comm. in Lev.*

beſtiæ, quibus veſci licet: bos, &c. cervus, caprea, &c. Sed propter ſanguinem piſcium, locuſtarum & abominandorum & reptantium animalium comedentes non fiunt rei nomine ſanguinis. Itaque veſci licet ſanguine piſcium & locuſtarum mundarum, imo ſi quis illum in vas quoddam collectum biberet, impunis foret. Sanguis autem immundarum locuſtarum & piſcium immundorum eo nomine vetitus eſt, quia eſt ſuccus corporis eorum, ſicut lac beſtiæ immundæ. Sanguis autem abominandorum animalium eodem hic loco habetur ac caro eorum, ut ſupra monuimus.*

II. Sanguis humanus ex verbis Scribarum vetitus eſt, ſi a corpore ſeparatus fuit; Violator autem hujus interdicti ob rebellionem verberatur. Si quis vero ſanguinem gingivarum propriarum deglutit, id ei interdictum non eſt. Si cui bucceam cibi mordenti in bucceam illam ſanguis deſtillat, abradendus eſt ſanguis, antequam buccea illa comedatur, quia jam a corpore ſeparatus fuit.

III. Illi tantum ſunt rei excidii, qui ſanguinem edunt emanantem, dum animal macta-

* *Monuimus.* cap. II. n. 9. & 10.

mactatur aut cæditur, vel dum caput abſcinditur, quamdiu ille nativo colore rubet, & ſanguinem intra cor collectum, nec non ſanguinem venæ ſectæ, quamdiu manat & effluit. Sed propter ſanguinem ſtillantem quamprimum vena ſecta eſt, antequam incipiat manare, & eum qui ſtillat ſub finem phlebotomiæ cum manare deſinit, non cenſentur comedentes rei excidii, quippe cum ejusmodi ſanguis ſit velut ſanguis membrorum. Sanguis enim fuſius manans eſt ille, cum quo anima exit.

IV. Excidii quidem rei non ſunt, qui ſanguinem expreſſum & ſanguinem membrorum, v. g. ſplenis, renium, teſtium vel eum, qui, dum animal mactatur, ad cor confluxit, vel in hepate reperitur, comedunt, attamen ſi tantum comederunt, quantum eſt oliva, vapulant, quia dictum eſt * (*Lev.* VII, 26.) *NE comedatis ullum ſangui-*

* *Lev. VII, 26. R. Levi ben Gerſom* hunc locum exponens confirmat ſententiam Autoris noſtri n. 1. allatam. וכל דם לא תאכלו במושבו תיכם לעוף ולבהמה אין ראוי שנאמין שיהיה דם החיה מותר כי ככר יתבאר בסדר ויקרא בכללות שכל דם הוא אסור - - ולבהמה בכלל

ſanguinem. Et in loco illo, ubi docetur, quod comedens ſanguinem reus ſit excidii, (*Lev.* XVII, 11.) ait Deus: *Nam anima carnis in ſanguine eſt*; adeoque nemo reus eſt excidii, niſi propter * eum ſanguinem, cum quo elabitur anima.

V. Si

נכלל בו חיה ובהמה כי שם בהמה יאמר בכללות על חחיה והבהמה *Et ne comedatis ullum ſanguinem vel avis vel beſtiæ in ulla habitationum veſtrarum. Non oportet nos hic exiſtimare, quod ſanguine feræ veſci liceat. Jam ante enim expoſitum eſt ſectione* ויקרא (Lev. III, 17.) *in genere, quod omnis ſanguis vetitus ſit. - - in voce: & beſtiæ, comprehenditur & fera & pecus. Nam nomen* בהמה *generale eſt & utrique competit. Comm. ad l. c. f.* 129. *col.* 4.

* *Sanguinem cum quo elabitur anima.* Præcipua enim cauſa, cur ſanguis interdictus ſit ſub pœna excidii, ea eſt, quod a Deo deſtinatus ſit expiationi pro hominibus. Ille autem ſanguis, qui aſpergebatur altari, erat ſanguis vitalis, non autem ſanguis expreſſus aut membrorum. *Majmon. de ſacrif. c.* 4. *& de ſacror. temer. c.* 1. *&* 2. *R Levi ben Gerſom ait:* לא יתחייבו כרת אלא על הדם שמדרכו שינתן על המזבח והוא דם הנפש - - ואולם דם תמצית ודם האברים לא יתחייב עליו כרת כי נפש הבשר בדם הוא ר״ל שהדם הוא הכלי לנפש להוביל בו החום היסודי והמזון לחלקי הגוף ולזה ימות הבח רק בהסתלק הדם *Non erant rsi excidii niſi propter eum ſanguinem, qui ſolet adſpergi altari, & ſane*

V. Si fœtus in viſceribus beſtiæ reperitur, eodem loco habendus eſt ſanguis ejus, ac ſi jam in lucem editus foret, propterea rei ſunt excidii, qui ſanguinem * intra cor collectum comedunt, ſed reliquum ſanguinis ejus eſt inſtar ** ſanguinis membrorum.

VI. Cor

ſane propter ſanguinem expreſſum & ſanguinem membrorum nemo eſt reus excidii. Anima enim carnis in ſanguine eſt, i. e. ſanguis eſt inſtrumentum animæ, per quod illa calidum radicale, & nutrimentum ad partes corporis deducit, & propterea moritur animal ſolo ſanguine ablato. Comment. in Leg. f. 158. *col.* 3. Quamvis enim Nachmanides tres numeret ſpecies ſanguinis, quem comedentes rei ſint excidii. ורבותינו דרשו שלושת כריתות בדם אחת לדם הנפש ואחת לדם שחיטה ואחת לדם כסוי *Doctores*, inquit, *noſtri, ſubtili expoſitione probarant ob tres ſanguinis ſpecies reos fieri excidii comedentes, primo ob ſanguinem* animæ, *deinde ob ſanguinem mactationis, poſtea ob ſanguinem tegendum. Comm. ad Lev. XVII.* eodem tamen res recidit, quod videlicet illi rei ſint, qui ſanguinem vitalem comederunt.

* *Sanguinem intra cor collectum.* Alia etenim hic ut alibi eſt ratio ſanguinis quam adipis, cum ille ſemper & ubique, hic tantum in iis, quæ ſacrificari queunt, vetitus ſit. Sic adipem fœtus comedi poſſe cenſet Autor noſter c. VII. n. 3. cum tamen ſanguis ſolicite removendus ſit; Itaque mactans קורע ומוציא את דמו diſcindit fœtum & ſanguinem ejus educit.

** *Sanguinis membrorum.* Qui non quidem ſub pœna excidii,

VI. Cor ſive aſſandum ſive in olla coquendum ſit, diſcerpendum eſt, ut a ſanguine purgetur, & poſtea ſale conſpergendum, ſi quis autem, antequam diſcerperet, coxit, ſufficit, modo * diſcerpat poſtquam coxit, ſi quis autem cor omnino non diſcerptum comedit, non tamen propterea reus eſt excidii, videlicet ſi fuit illud cor avis, in quo minus eſt ſanguinis, quam ut olivam æquet. Si vero fuit cor quadrupedis, propterea excidii reus cenſetur, quia ſanguis in corde ejus coagulatus, propter quem rei ſunt excidii comedentes, facile olivam quantitate æquat.

VII. Si quis hepar diſſectum in acetum aut ferventem aquam mergit, donec albeſcat, illud poſtmodum coquere licet. Solent autem omnes Iſraëlitæ leviter flammis

excidii, ſed tantum verberum eſt vetitus. Nam fœtus nondum perfectus ejusdem conditionis cenſetur ac quodvis membrorum matris ſuæ.

* *Diſcerpat poſtquam coxit.* Sic enim traditur Gem. Chullin c. IIX. לא קרעו קורעו אחר בישולו ומותר *Si quis non diſcidit cor* (ante coctionem) *diſcindat poſtquam coctum eſt, tum eo veſci licebit.* Unde ex voce coquendi addidit Autor noſter, *ſive aſſandum ſive in olla coquendum ſit*, diſſentiente & repugnante R. Abrah. f. D. Conf. *R. Selomo Luria Ammude Selomo interd.* 137.

mis illud torrere, & poſtea vel ſolum vel cum alia carne ſimul coquere. Et ſic conſuetudine notiſſima nec coquere ſolent cerebrum, nec aſſare, niſi leviter prius flammis toſtum.

IIX. Si quis hepar coquit, quod nec flammis leviter toſtum, nec aceto aut aqua fervente perfuſum eſt, ecce quicquid in olla eſt, vetitum cenſetur, ſcilicet hepar, & quicquid cum eo coctum fuit. Aſſare autem jecur in eodem veru cum carne licet, ſed ita* ut jecur inferne ſit; Si quid

* *Ut jecur inferne ſit.* Tam ut hæc theſis quam ſequens XIII. & XIV. intelligatur, obſervare oportet ex re culinari veterum Ebræorum שדרכם היה שהיו מניחין השפוד בתנור ראשו למטה וזנבו למעלה אבל אם מניח השפוד כולו על גב ןאש אין כאן מעלה ומטה *Solebant enim collocare veru in clibano, ita ut inferne eſſet craſſior pars, tenuior autem ſuperne, ſi quis autem totum veru ſuper igne collocat, nullus eſt reſpectus partis ſuperioris vel inferioris. Maggid Miſchne ad h. l.* Inprimis hoc memorabile eſt in aſſatione agni Paſchalis, כיצד צולין את הפסח מביאין שפוד של רימון תוחבו מתוך פיו עד בית נקובתו ונותן את כרעיו ואת בני מעיו לתוכו דברי ר' ווסי חגלילי ר' עקיבא אומר כמין בישול הוא זה אלא תולן חוצה לו *quomodo aſſatur agnus Paſchalis? Afferunt veru de malo Punica,*

quid autem neglecto hoc interdicto jecur aſſandum ſuperne collocat, tamen eo veſci licet.

IX. Lienem coquere licet etiam cum carne. Non enim ſanguis eſt, ſed caro ſimilis ſanguini. Si quis frangit cervicem beſtiæ, antequam anima exiverit, ecce ſanguis ejus a membris abſorbetur, & vetitum eſt de ea veſci carne cruda, quamvis abluatur. Quid igitur faciendum eſt? Scindenda ſunt ſegmenta & quam aptiſſime ſale conſpergenda, & poſtea coquenda vel aſſanda. Et jam ante * expoſuimus, quod liceat veſci beſtia, fera & ave, licet cum mactantur non effluat ſanguis.

X. Caro non mundatur a ſanguine, niſi quam accuratiſſime ſale conſperſa, & quam

nica, eoque tranſadigunt agnum ab ore ad poſteriora. Crura autem ejus & inteſtina intra eum collocant ex mente R. Joſæ Galilæi. Sed R. Akiba ait eſſe hanc ſpeciem elixationis, itaque ſuſpendenda eſſe crura & inteſtina extra agnum. Peſachim c. VII. miſchna 1. Conf. *Havighorſtius de Paſchate Sect. I. c. III.* §. 6. Hinc *Juſtinus Martyr* deducit typum crucifixionis Chriſti, ex aſſatione ejusmodi in veru ligneo, qua agnus aſſandus crucifixi figuram referebat. *Dialogo cum Tryphone Judæo.* p. 200. *ed. Commel.* Quam ſententententiam approbat *Celeb. G. E. Edzardus ad cap. II. Avoda Sara p.* 234.

* *Expoſuimus.* c. 4. n. 13.

quam optime elota. Quo ordine igitur agendum eſt ei qui vult carnem abluere? Primo ſale conſperſa caro in ſale tanto temporis intervallo relinquenda eſt, quanto pedibus abſolvi poteſt iter milliaris, & poſtea *accurate abluenda, donec aqua non amplius ſanguine tingatur, tum **mergenda eſt aqua fervente, non autem tepida, ut confeſtim caleſcens albeſcat, nec amplius emittat ſanguinem.

XI. Caro

* *Poſtea accurate abluenda.* Eſt hæc ſententia Raf Semuelis Chullin c. IIX cui oppoſita videtur opinio Raf Hunæ exiſtimantis, quod etiam antequam ſale conſpergatur caro ſit abluenda. Sed לא קשייא הא דחלליה בי טבחא והא, דלא חלליה בי טבחא *ſine difficultate hoc dubium ſolvitur, cum prior ſententia eo caſu valeat, ſi jam ante in domo lanii caro lavando mundata eſt, poſterior cum quis eam non lavit in domo lanii.*

* *Mergenda eſt aqua fervente.* Ritum, quem hoc loco indicat Autor noſter, non omnibus Judæis probari docet *Abraham f. D. ad h l.* לא שמענו ולא ראינו מימינו וכל אד מימות היוצא אחר מליחה ממנו אינו אלא המר הבשר והמחמיר יותר מכן עליו להביא ראיה *Per vitam noſtram nec hoc audivimus, nec vidimus. Quicquid enim rubri poſt ſalſuram e carne effluit, nihil aliud eſt quam ipſius carnis materia. Si quis autem aliquid ulterius obſervandum injungit, ei incumbit probatio.*

Autor

XI. Caro non eſt ſale conſpergenda niſi in vaſe perforato, nec alio ſale quam rudi inſtar ſabuli rudioris. Sal enim tenerior a carne abſorbetur, nec educit ſanguinem. Oportet etiam excutere ſalem a carne, antequam eluatur.

XII. Hæc omnia obſervanda ſunt de carne coquenda; Si vero aſſanda eſt caro, ſale illam conſpergere oportet, & poſtea aſſare licet; Si quis autem delectatur * eſu carnis crudæ, ea quam optime ſale conſpergen-

Autor etiam *Maggid Miſchne* teſtatur, ſe nusquam ſolida argumenta pro hac Maimonidæ aſſertione inveniſſe.

* *Eſu carnis crudæ.* Carne cruda veſci nuſquam Deus prohibuit Iſraëlitis, niſi huc referas præceptum de agno Paſchali אל תאכלו ממנו נא *Ne comedatis de eo* (quicquam) *ſemicrudum. Ex.* XII, 9. ut ex Etymologia vocis hujus (deducendæ ex Arabico نَأَ unde eſt نِيءٌ *ſemicruda caro*) demonſtravit *Bochartus Hieroz. P. I. l.* 2. *c.* 50. quam & confirmat *Targum Hieroſolymit.* hic uſum voce מה בהב cujus ſignificatio vel ex hujus capitis *num. VII.* manifeſta eſt, quod videlicet ſit ejusmodi aſſatio, poſt quam tamen opus eſt carnem aſſare vel coquere, ſeu ut vocem נא exponit *R. Levi ap. Hottinger. Jur. Hebr. leg.* 13. & *Majmonides de Paſchate c. VIII. n.* 6. הבשר שהתחיל בו מעשה האור ונצלה מעט ואיננו ראוי לאבילת אדם *caro in quam ignis*

ſpergenda, & accurate eluenda eſt, antequam comedatur. Si quis vero carnem illam perfudit aceto, licet carne illa veſci, dum cruda eſt, & bibere acetum, quo eam perfudit, quia acetum non educit ſanguinem.

XIII.

ignis agere cœpit, quæque parum quidem toſta, ſed nondum eſui hominis apta eſt. Imo in *Peſachim f.* 41. *a.* interdicti læſi reus eſſe negatur, qui carnem agni Paſchalis crudam comedit, cum tantum prohibeatur caro נא (i. e. *ſemicruda*) & coquendo elixa; Sed dicitur eſſe reus præcepti violati, cum jubeatur quilibet comedere carnem aſſam igne. Exponunt ultra Talmudici hanc vocem *l. c.* הך נא אמר רב כדאמר פרסאי אבונים *Quid ſignificat* נא? *Ruf ait: Idem quod Perſa diceret* אברנים, quod exponit *Raſchi* צלי ואינו צלי *quod ita aſſum eſt, ut tamen aſſum non ſit*, ſeu שלא נתבשל כל צורכו אלא מעט *quod non quantum ſatis, ſed tantum leviter coctum eſt;* ut loquitur *Philippus Aquinas diction. p.* 5. Manifeſtum itaque eſt, quod *Spencerus* ſignificationem carnis crudæ omnino & ſanguine manantis, tantum eo fine aſſumpſerit, ut pro more ſuo vel commentis hypotheſin firmaret *de Legibus Hebræorum l.* 2. *c.* 4. *ſect.* 2. Fruſtra refertur ab aliis nonnullis ad probandum, quod non licuerit carne cruda veſci, peccatum militum Iſraëlitarum, 1. *Sam. XIV*, 32. cum expreſſe doceat textus ſacer v. 33. non quod comedendo carnem crudam, ſed quod juxta ſanguinem effuſum comedendo peccaverint Iſraëlitæ, cum hoc vetitum ſit Lev. XIX, 26. non autem carnem crudam abſumere.

XIII. Aceto tamen, quo quis ſemel carnem perfudit, non licet iterum perfundere: Et ſegmentum carnis, quod rubrum manſit, cum aceto immergeretur, tam ipſum vetitum eſt quam acetum, niſi quis illud ſale quam optime conſpergit & aſſat. Carnem rubentem, ut & teſtes pecudis aut feræ tectos pellicula ſua, nec non cervicem, in qua ſunt * arteriæ plenæ ſanguine, ſi quis diſcindit, ſaleque, ut par eſt, conſpergit, coquere licet; Si quis autem non diſcindens aſſat ejusmodi carnem veru transfixam, & torret ita collocatam cervicem, ut oris hiatus ſit inferne, aut totas has partes prunis impoſitas aſſat, tum illis veſci licet.

XIV. Si quis caput beſtiæ in furno aut clibano aſſat, ita ſuſpenſum, ut locus vulneris, quo mactata eſt, ſit inferne, eo veſci licet. Nam ſanguis deſtillando effluit. Si vero locus ille vulneris non ita collocatur, ut infra cerebrum ſit, ſed a latere ejus, tum cerebro veſci non licet, quia ſanguis in illud confluxit, reliqua autem caro,

 quæ

* *Arteriæ.* Vitioſe in ultima editione Veneta & Amſtelodamenſi legitur מורקים cum legendum ſit עורקים vel potius מזרקים *v. Chullin f.* 93.

quæ ſuper oſſa eſt, extra cerebrum licita eſt; Si quis naſum inferne collocat & ei inſerit calamum vel cannam, ut maneat apertus, & ſanguis per nares effluat, veſci eo licet; ſi hæc non obſervavit, vetitum eſt.

XV. Non licet collocare ſub carne aſſanda vaſculum ad excipiendum aquam ex ea deſtillantem, antequam color ejus ruber defecerit. Quomodo igitur tum agere oportet? Vaſculo injiciendum eſt paululum ſalis, & ſic, dum caro aſſatur, vaſculum infra eum collocatur, tum adipe innatante aquæ veſci licet, aqua autem, quæ ſub adipe eſt, vetita cenſetur.

XVI. Si quis carnem aſſam pani impoſitam carpſit, illo veſci licet. Nam iſte humor, quo panem tingit aſſa caro, tantum pinguedo eſt. Si quis in eodem vaſe piſces aveſque ſale conſpergit, tum piſces, licet vas illud ſit perforatum, vetiti ſunt. Piſcis enim, quia mollior eſt, abſorbet ſanguinem ex ave prodeuntem, & vix puto opus eſſe, ut addam, multo magis piſces, qui cum carne pecudis vel feræ ſaliuntur, vetitos eſſe.

XVII.

XVI. Si quis aves ſolidas, (*ſeu exenteratas,*) carne vel ovis fartas coquit, illæ vetitæ ſunt, quippe cum ſanguis intra eas emanet, licet quam accuratiſſime ſale conſperſæ fuerint, caroque iis infarta ſit aſſa vel elixa; Si vero eas quis aſſavit, licitæ ſunt, ſi vel caro, qua fartæ ſunt, cruda fuerit, & roſtrum illarum ſurſum verſum ſit (*dum aſſantur.*)

XIIX. Inteſtinis hoc modo fartis carne aſſa vel cocta aut ovis, ſive coquantur, ſive aſſentur, veſci licet, quia inteſtina non creduntur ſcatere ſanguine, (ſic enim docuerunt illuſtres * Doctores.)

XIX. Si quis aves maza incruſtatas aſſat ſive ſolidas ſive diſſectas, ſi cruſta illa eſt ex ſimila rudiore, quamvis illa rubeſcat, veſci tamen ea licet, quia ſimila rudis inter micas rimoſa eſt, & ſic ſanguis per rimas diffluit; Si autem depſta farina triticea eas incruſtavit, & farina manet alba inſtar argenti, tum licita eſt, ſecus vetita cenſetur. Cruſtæ ex cæteris ſpeciebus farinæ, ſi ** rubrum colorem contraxerunt,

* *Illuſtres Doctores.* Scilicet *Chullin c. VIII.*

* *Rubrum colorem.* Autor noſter etiam poſtquam aves ſale

runt, vetitæ ſunt, ſi non rubuerunt, licitæ ſunt.

XX. Cultro, quo quis mactavit animal, non licet ſcindere cibum calidum, niſi igne eum candefecerit, aut cote poliverit, aut in terram duram decies infixerit; Si autem quis ejusmodi cultro carnem jam ſcidit, veſci ea licet. Pari modo nec cibum refrigeratum eo ſecare licet & ſimilia, ſi de hoc caſu diſputatur, re integra: Si quis cultrum lavit aut inſtrumento aliquis deterſit, ſecare illo carnem frigidam licet, non autem calidam.

XXI. Quando in ſcutella quadam caro ſale conſperſa fuit, ex ea cibum calidum comedere nunquam licet, quamvis plumbata fuerit, quia teſta ejus, ſanguine, quem abſorpſit, imbuta manet.

ſale conſperſæ ſunt, aptæque, ut in olla coqui poſſint, ſuos vult eſſe ſolicitos de ſanguine. Minus autem curioſi eſſe videntur poſterioris ævi Judæi, utpote qui exiſtimant, quod כל זמן שהעופות מוכשרין לקדרה בכל גוונא אף טפילתן מותרת *quando aves ita purgatæ ſunt, ut in olla coqui poſſint, etiam cruſta earum veſci liceat. Maggid Miſchne ad h. l.*

CAP. VII.

CAPUT VII.

De Adipe.

QVi tantum adipis, quantum eſt oliva, comedit ſciens volensque, is excidii reus eſt, ſed qui errore aliquo comedit, is tenetur offerre ſacrificium pro peccato fixum. Et Lex eum tantum eſſe reum expreſſis verbis docet, qui adipem de tribus * mundarum pecudum ſpeciebus comedit. Sic enim dicitur: (*Lev. VII*, 23.) *NE comedatis ullum adipem bubulum, ovillum vel caprinum.* Reus itaque eſt, qui adipem horum animalium comedit, ſive ea legitime mactata, ſive diſcerpta, ſive cadavera fuerint. Sed reliquarum pecudum & ferarum, ſive mundæ ſint ſive immundæ, adeps eodem loco habetur ac

* *Mundarum pecudum.* Ferarum enim adipe veſci licet, quod *ſupra* docuit *Autor noſter c. I. n. 9.* Immundorum autem animalium adeps ſimul cum carne vetitus eſt. *c. II. n.* 9. Eodem modo locum citatum exponit *R. Selomo Luria :* כתב שור כבש ועז למימרא דחלב שור כבש ועז הוא דאסור אבל הוא דחיה שרי *Expreſſe ſcribit* Moſes: Lev. VII, 23. bovis, ovis & capræ, *ad indicandum ſolum bovis, ovis & capræ adipem eſſe illum, qui vetitus eſt, ſed feræ adipe veſci licere: interd.* 138.

ac caro. Sic & adeps abortus trium harum ſpecierum mundorum animalium ejusdem conditionis eſt ac caro. Propterea qui tantum, quantum eſt oliva, de ejusmodi adipe comedit, vapulat nomine eo, quod cadaver comederit.

II. Qui comedit de adipe cadaveris aut animalis diſcerpti, reus eſt non modo nomine adipis, ſed & nomine cadaveris aut diſcerpti: quia interdictum carnis, quæ aliquando fuerat licita, acceſſit interdicto adipis, (*qui perpetuo vetitus eſt,*) adeoque bis vapulat reus.

III. Si quis fœtam pecudem mactans in ea invenit fœtum nondum perfectum, tum illius fœtus adeps, licet vivus fuerit repertus, licitus eſt, quia eſt inſtar membri matris ſuæ. Si vero fœtus impletis menſibus ſuis partui vicinus eſt, & ſic vivus invenitur, licet non prodierit in ſolum, & non egeat mactatione, tamen adeps ejus vetitus eſt, & qui eo veſcuntur, rei ſunt excidii: Itaque ſeligendæ ſunt ex eo omnes membranæ, omniaque vaſa adipoſa, quæ cenſentur vetita, velut e reliquis animalibus.

IV. Si quis manu in viſcera animalis immiſſa,

miſſa, ex adipe fœtus, qui partui vicinus eſt, abſciſſum eductumque adipem comedit, propterea æque reus eſt, ac ſi de ipſius matris adipe illam partem abſcidiſſet. Menſes enim ſunt, qui faciunt, ut adipe fœtus veſci non liceat.

V. Tres ſunt adipis ſpecies, quas comedentes rei ſunt excidii: adeps nimirum, qui eſt * ſuper ventriculum, & qui eſt ſuper duos renes, & qui eſt ſuper coxas. Sed cauda veſci licet. Illa enim nonniſi ** reſpectu ſacrificiorum vocatur adeps,

* *Super ventriculum.* Hic adeps idem eſt qui dicitur tegens ventriculum, videlicet omentum, ut recte loquitur Joſephus, omnes partes animalium, quæ in ſacrificiis adipis nomine ornabantur, hoc ordine recenſens: *τοὺς νεφροὺς, καὶ τὸν ἐπίπλουν, καὶ πάντα τὰ πιμελῆ, σὺν τῷ λόβῳ τοῦ ἥπατος, καὶ σὺν αὐτοῖς τὴν οὐρὰν τοῦ ἀρνὸς ἐπιφέρουσι τῷ βωμῷ, renes & omentum, & omnem pinguedinem cum fibra jecoris, & inſuper caudam agni aræ inferant. Antiqu. l. III. c.* 10. quamvis ſequens phraſis *πάντα τὰ πιμελῆ* nimis generalis ſit, pluraque complectatur, quam הלב אשר על הכסלים *adeps qui ſuper coxas eſt*, in Levitico *c. III.*

** *Reſpectu ſacrificiorum.* Si enim ex ovium genere fiebat ſacrificium, addebatur cauda tota, cum aliquot vertebris de ſpina dorſi, ſicut revelletur a renibus usque, quia ſcriptum eſt: e regione ſpinæ tollet eam. *Lev. III. 9. Majmon. Maaſe Korbanoth c. I. n.* 18.

Conf.

quemadmodum etiam adipis nomen tribuitur ipſis renibus & * reticulo jecoris, quando de ſacrificiis ſermo eſt. Sicut tu adipem terræ, vel adipem renium tritici vocas, quod in iis optimum eſt. Quia igitur hæ partes ſacrificiorum elevari ſolent, ut in honorem divinum comburantur, adipis nomine ornari poſſunt. Nulla enim pars vel res eſt præcipue bona, quin Deo conſecrata hoc nomine inprimis digna videatur. Sic Legiſlator de conſecratione decimarum loquens: (*Num. XIIX*, 30. 32.) *cum ſuſtuleritis*, inquit, *adipem ejus de illo.*

VI. Adeps, qui eſt ſupra **omaſum & abomaſum,

Conf. *Sevachim f.* 28 *a. Chullin f.* 117. *a. Raſchi ad Lev. III*, 9. aſſerit, præſtantisſimam partem, quæ in ove eſt, eſſe caudam integram.

* *Reticulo jecoris.* R. Selomo ben Melech exponit hanc vocem ad Lev. III. היותרת הוא הנקרא בלשון רבותינו טרפש ואמר על הכבל ופירושו עם הכבד כי מעט היה נוטל עם היותרת *Reticulum lingua Doctorum noſtrorum vocatur* טרפש: *Dicit autem ſuper hepate, quod idem eſt ac ſi diceret, cum hepate. Particulam enim hepatis ſimul cum reticulo auferebat Sacerdos.* Conf. *Raſchi ad Exod. XXIX*, 13.

** *Omaſum & abomaſum.* Novi quidem, non omnibus eruditis probari verſionem Theodori Gazæ, qua Ariſtotelem interpretatus, echinum & ἤνυστρον vertit omaſum

maſum, eſt ipſe ille adeps, qui vocatur adeps ſupra ventriculum, & adeps ille, qui eſt ſuper radices femorum ab interiori parte, eſt ipſe ille adeps, quem Scriptor ſacer appellat adipem, qui eſt * ſuper coxas. Eſt

omaſum & abomaſum; Sed cum non ſubſtituerint ipſi aliam vocem magis idoneam, & autoritatem uſu invenerint hæ ipſæ, quo tertium & quartum ventrem ruminantium ſignificant, non alienum exiſtimavi notisſimas voces adhibere. Cæterum quid ſit מסס & בית הכוסות pandat nobis Raſchi המסס הוא סמוך לבית הכוסות עשוי כגלגל כמין כידור ובתוכו קליפות כגלגל של ריחיים והוא שקורין צינ״פיל ודפנו דק מאד בית הכוסות סוף הכרס שקורין פונ״צא ויש בו עובי שקורין דופ׳לן ותוכי עשוי כמין כיס עובי בית הכוסות דופן כפולה ודובקין הכפליים זה בזה בשומן *Echinus eſt prope ἤνυςρον, figuram autem habet orbiculatam inſtar globi. Intra eum ſunt complures pelliculæ rotam molarem ſitu ſuo referentes, ille eſt qui barbare vocatur cenpel* (i.e. venter centipellis) *& paries ejus eſt admodum tenuis. Abomaſum ſ. ἤνυςρον eſt finis ſ. extrema pars ventriculi, quam vocant pancia Huic annexus eſt adeps, quem appellant duplon, cujus intima pars figuram ſacculi refert; adhærent autem duplicaturæ ſibi invicem mediante adipe.* Conf. *Selomo Luria in Ammude Selomo interd.* 138.

* *Super coxas.* Adeps, qui naſcitur in tota poſteriore parte pelvis ejus quam oſſa innominata cum oſſe ſacro juncta conſtituunt, cui accenſendi quoque ſunt

Eſt autem ſuper ventriculum adeps plexus inſtar retis, qui vetitus eſt, & eſt vas productum inſtar lobi, quo veſci licet. Vaſis,

ſunt lumbi inde a renibus, vocatur חלב אשר על הכסלים quo pertinet adeps meſenterii lumbis aliisque partibus adhærens, quas Princeps Commentatorum Judaicorum Raſchi obſoleta voce Gallica lonbeils appellat, nec non illi parti lateris, quæ eſt juxta lumbos, quam flancs nominat. Talmudici hunc adipem vocant תרבא דקליבוסתא vel אקליבוסתא *Chullin* f. 93. i. e. ut habetur in Haggahoth; במקום שהירכים מתחברות *in loco ubi annectuntur coxæ* (oſſi ſacro): ibidem plenius adducitur ſententia R. Salomonis & Eliæ Miſrachi: רש״י פי חלב עצם קטן שמונח על העצם שקורין הנקא מחבר לקולות האליה מלמעלה ועליו יש חלב תחת ראש המתן שקורין לונביל בלעז וכתב ראם על זה סמוך לזנב יש שומן האליה ועליה יש חלב קליבוסת וכו׳ *Raſchi exponit. Adeps hic eſt oſſis parvi, quod collocatum eſt ſuper os, quod vocant hanche* (coxam) *annexi ſuperne primæ juncturæ caudæ, ſuper quod eſt adeps ſub capite femoris, quod barbare vocant lonbeil: Elias Miſrachi ſcribit hac de re: Prope caudam eſt pinguedo caudæ, & ſuper eam eſt adeps coxæ* (vel ſi mavis *oſſis ſacri.*) *Samuel ait, hanc adipem conjunctam eſſe cum pinguedine caudæ, nec quicquam eſſe inter eas diſcriminis præter unicum nervum album, inſtar membranæ, qui ipſe admodum ſimilis ſit pinguedini, quicquid ſupra illum nervum eſt, ſub pœna excidii vetitum eſſe; quicquid eſt infra eum, eſſe licitum, quia a carne tegitur.*

Vaſis, quæ ſunt in adipe, veſci non licet, nec tamen qui ea comedunt, rei ſunt excidii.

VII. Adeps, quem caro tegit, licitus eſt. Eum enim, qui eſt ſupra coxas, prohibuit Scriptura, non vero eum, qui eſt intra coxas; Sic & adeps, qui ſupra renes eſt, vetitus, qui autem intra renes eſt, eſui conceſſus foret. Quamvis autem ita res habeat, auferri ſolet album illud, quod intra renes conſpicitur, antequam comedantur, nec tamen opus eſt curioſe ſcrutando illud eruere.

IIX. Eſt inſtar duorum filamentorum adipis in radicibus coxendicis prope caput femoris, quæ, dum animal vivit, obſervari poſſunt, dum autem mortuum eſt, caro carni adhæreſcens hunc adipem ita obtegit, ut videri nequeat, niſi divulſa carne: quamvis autem ita ſit, adeps ille vetitus eſt. Hic enim accenſeri nequit illi adipi, quem caro tegit. Cæterum ubicunque reperitur adeps ſub carne latens, carneque undique tectus, nec videri poteſt niſi diſſecta carne, illo veſci licet.

IX. Adeps cordis & adeps inteſtinorum, illorum videlicet, quæ (*meſenterio*) undique

que annexa ſunt, licitus, eſuique conceſſus eſt: (Eſt enim inſtar pinguedinis, qua veſci licet:) præter adipem, qui caput inteſtinorum involvit, quod cum ventriculo cohæret, & initium inteſtinorum eſt, hunc nimirum adipem abradere oportet, & ille ſolus in inteſtinis vetitus eſt. Imo eſt non nemo ex numero illuſtrium Doctorum, qui credit, quod caput illud inteſtinorum, quod ita mundare oportet, ſit inteſtinum (*rectum*), per quod fimus exit, quodque eſt extremum inteſtinorum.

X. In corpore beſtiæ dantur vaſa & membranæ, quorum pars ſanguinis cauſa, pars adipis ergo vetita eſt. Omnia autem * vaſa, omnesque membranas vetitas inter-

* *Omnia vaſa* חוטין Male vertit *Hottingerus* eandem phraſin ex *R. Levi Barcellonita: omnes medullas* ſpinæ dorſi, cum hic minime, ut nec apud eum *Juris Hebr. leg* 147. ſermo ſit de medulla, ſed de venis, arteriis, nervis, aliisque vaſis adipe tectis. Vocabulum חוט poteſt equidem ſignificare *medullam ſpinæ dorſi*, ſi additur vox שדרה *ſpina dorſi*; ſed non hic ſignificat. Nam medulla ſpinæ dorſi, utpote quæ nusquam vocatur adeps, & poſito quod vocaretur, carne undique tecta eſt, veſci licet. *vid. n. VII.* Nomine autem vaſorum uſus ſum propterea, quia anatomici hac voce partes ejusmodi notare ſolent.

interdicto illo (*Lev. VII*, 26.) *Ne comedatis ullum ſanguinem*, auferre oportet & poſtea carnem ſale conſpergere, ſi coquenda eſt, quemadmodum diximus. Si quis autem carnem diſſecat, ſciſſamque ſale conſpergit, *non opus eſt ea extrahere. Sic & omnino non eſt neceſſe ea extrahere, ſi caro aſſanda eſt. Omnia autem vaſa omnesque membranas vetitas interdicto illo: (*Lev. VII*, 23.) *Ne comedatis ullum adipem*, ſive aſſanda ſit caro, ſive coquenda, auferre oportet.

XI. Quinque ſunt ** vaſa lumborum, duo

---

* *Non opus eſt ea extrahere.* Quia nimirum carne diſſecta etiam venæ aperiuntur, ut ſic in earum cavum ſal penetrare poſſit, & ſanguinem educere. Nec vaſa per ſe vetita ſunt, ſed tantum vel reſpectu ſanguinis quem continent, vel adipis quo teguntur. Alia autem eſt ratio vaſorum, quæ adipoſa ſunt, cum nec ſale nec igne mundari poſſint, ſed potius ignis ſuo calore adipem liquefactum per omnem carnem diffundat. Itaque adeps, antequam caro igni admoveatur, ſolicite removendus eſt.

** *Vaſa lumborum.* Hoc interdictum habetur in *Tr. Chullin f.* 93. Talmudicorum mentem his exponit *R Meir* in Haggahoth: בעור בהמה חמה יכולין להסירם בקל אבל כשנצטננה קשה להסירם וצריך לחטט אחריהם עד שימצאם מכפר הזה וראשן אחד מחובר לשדרה וראשו

duo a læva, & tria a dextra; quæ a dextra ſunt, in binos ſingula ramos abeunt, quæ autem a læva ſunt, ſingula in ternos ramos diſtribuuntur, omniaque illa nomine adipis vetita ſunt, ut & vaſa ſplenis & vaſa renium, ſic quoque membrana ſplenis & membrana, quæ eſt ſuper lumbos, & quæ renes tegit, nomine adipis vetitæ ſunt Imo propter membranam, quæ locum ſplenis veſtit, comedentes rei ſunt excidii Reliquæ autem membranæ, licet interdictæ ſint, excidii tamen pœnam rei non incurrunt.

XII. Duæ membranæ renes veſtiunt; qui ſuperiorem comedunt, rei ſunt excidii, utpote cum hæc ad adipem, qui ſuper renes eſt, pertineat; Inferioris autem eadem eſt ratio, quæ reliquarum membranarum & vaſorum, quibus veſci quidem non licet,

* וראשי הפיצולים נמצאים תחת החזה בראשי הצלעות *Dum beſtia nuper mactata adhuc aliquid caloris reliquum habet, vaſa hæc facillime auferri poſſunt; cum autem frigus lethale omnes artus penitus occupavit, difficulter extrahi poſſunt, magnoque ſtudio ea inveſtigare oportet, donec inveniantur totidem numero quot hic deſcribuntur. Uno autem trunco omnia vicina ſunt ſpinæ dorſi, capita autem ramorum inveniuntur ſub pectore juxta capita coſtarum.*

licet, ita tamen, ut peccato pœna excidii non ſit propoſita.

XIII. Vaſa cordis & vaſa manus, & vaſa oſſis ſacri & vaſa maxillæ inferioris a latere linguæ utrinque, & ſic vaſa illa minuta, quæ ſunt *inter inteſtina, inſtar telæ aranearum perplexa & contexta invicem, & membrana, quæ teſtes tegit, omnia vetita ſunt nomine ſanguinis.

XIV. Teſtes hædi aut agni, qui nondum vivendo implevit triginta dies, licet coquere non detracta membrana. Poſt trigeſimum diem ſi in ea conſpiciuntur ſubtilia vaſa rubicunda, certum eſt, quod in iis fluxerit ſanguis, adeoque detrahenda eſt illa pellicula, vel diſſecandi, ſaleque conſpergendi ſunt, antequam eos coquere liceat; quodſi autem nondum apparent vaſa illa rubicunda, (*ut ante trigeſimum diem*) illis veſci licet.

XV. Non exiſtimatur reperiri ſanguis in ullo inteſtinorum, per quorum cavitatem circuit chylus.

XVI.

* *Inter inteſtina.* Videlicet venæ & arteriæ, quæ in meſenterio, prope inteſtina, variis plexibus ſibi invicem conjunguntur & implicantur, ſanguinem ad inteſtina & per corpus meſenterii deferentes, & ab iis abducentes.

XVI. Videtur mihi, quod membranis illis vaſisque vetitis, tantum ex Scribarum interdicto veſci non liceat. Si autem objeceris, ea ex Lege vetita eſſe illo interdicto: (*Lev. VII*, 23.) *Ne comedatis ullum adipem*, & altero (*ibid. v.* 26.) *Ne comedatis ullum ſanguinem*; obſerva, quod non alio ſupplicio reus afficiatur quam plagis rebellionis, adeoque hæ res vetitæ non alio loco haberi queant, quam *dimidium dimenſionis ejus, quod Lege vetitum eſt. Non

* *Dimidium dimenſionis.* Nimirum dimenſio, quam quis abſumens dici poteſt comediſſe, eſt hoc loco oliva. Sed אכל כל שהוא פחות מכשיעור מכין אותו מכת מרדות: *Qui quantumcunque etiam quod minus eſt menſura* (comeſturæ) *comedit, plagis rebellionis afficitur*, ut loquitur *Autor noſter c. XIV. h.* 2. Exiſtimat autem hoc loco, quod ille, qui de membranis vaſisque adipoſis quicquam comedit, magis contra literam quam ſenſum Scr. S. peccet. Illud enim interdictum *Lev. VII*, 23. *Ne comedatis ullum adipem &c.* quamvis omnino videatur univerſale, reſtringendum putat ad adipem, qui ſuper renes, ventriculum & coxas extenditur, ſeu illas tantum partes corporis, quæ non modo in ſacrificiis adipis nomine offerri ſolebant, ſed & revera adeps erant, ut ſupra docuit *h. V.* Ne autem hoc modo limitata interdicti illius univerſalitate, eſum reliqui omnis adipis permittendo, feneſtram ſibi quisquam patere exiſtimaret, non in verba modo, ſed & in ipſum ſenſum divini edicti, perfricta fronte vetitas Lege partes comedendo peccandi, ſuperadditum

Non enim qui hoc interdictum negligunt, loro vapulant.

XVII. Non licet ſalire adipem ſimul cum carne, nec abluere adipem cum carne, & cultro, quo quis ſecuit adipem, non licet ſecare carnem, in vaſe etiam, quo quis adipem abluit, carnem lavare non licet. Propterea oportet lanium in promptu tres cultros habere: unum quo mactet, alterum quo ſcindat carnem, tertium quo adipem ſecet.

XIIX. Porro ſicubi uſu receptum eſt, ut lanius in taberna carnes abluat, oportet

 apta-

additum eſſe hoc interdictum a ſapientibus, velut סיג התורה *ſepimentum Legis;* cujusmodi additamenta in conſtitutionibus Talmudicis utramque fere paginam faciunt. Nec tamen iis violatis eandem pœnam dare poteſt reus, quam qui ipſam Legem læſit, adeoque qui membranis adipoſis veſcitur, non loro ſed fuſte vapulat, velut qui dimidium dimenſionis ejus, quod Lege vetitum eſt, comedit. Probabili igitur ratione *Autor noſter* autoritatem interdicti pœnæ gravitate metitur. Imo expreſſe aſſerunt Talmudici: חוטין שבחלב אסורין ואין חייבין עליהן חלב אמר רחמנא ולא חוטין: *Vaſa, quæ ſunt in adipe, vetita ſunt,* (ſcil. מדרבנן *ex decreto Doctorum,* ut exponit *Raſchi*) *nec tamen comedentes propterea rei ſunt,* (ſc. plagarum, quæ loro infliguntur;) *Adipe enim veſci Deus vetuit; non autem vaſis. Chullin f.* 92. *col.* 2.

aptare ei duo vaſa, alterum, in quo carnem mundet, alterum, in quo adipem abluat.

XIX. Vetitum quoque eſt lanio * expandere adipem lumborum ſuper carnem, quia pellicula, quæ hunc adipem tegit, admodum tenera eſt, adeoque manibus lanii facile rumpi poteſt, ita ut perfluat adeps, & a carne abſorbeatur. Hæ res omnes, quas facere lanio vetitum eſt, ſi factæ ſunt, non tamen propterea caro vetita eſt, nec lanius vapulat, ſed admonetur, ne poſthac eodem modo peccet.

XX. Sic quoque caro non eſt ſale conſpergenda, niſi ablatis prius vaſis & membranis vetitis. Si quis autem jam ſale conſperſit, poſtea quoque auferri queunt, imo ſi vel quis carnem, in qua eſt nervus luxatus, ſale conſperſiſſet, nervum illum extrahere licet, & tum caro coqui poteſt.

XXI.

* *Vetitum eſt expandere adipem.* Chullin c. 1. f. 8. *Autores Toſaphoth* tamen aliquo modo hoc interdictum reſtringunt: בעודו חם אבל כשנצטנן ונתקרר יפה מותר שהרי נאמר וישימו החלבים על החזות *Dum adeps adhuc calet, vetitum eſt, quando autem refrixit & rigidior factus eſt, ſuper carnes eum expandere licet, quia dicitur:* (Lev. IX, 19. 20.) *Adipem impoſuerunt pectori.*

XXI. Si quis lanius, qui carnem mundare ſolet, in ea reliquit membranam aut vas quoddam vetitum, docendus & admonendus eſt, ne verſetur negligenter circa res vetitas. Si autem adipis tantum reliquit, quantum eſt granum hordei, publice a communione ſeparatur. Si vero, quantum eſt oliva, in carne reperitur, plagis ob rebellionem affici ſolet, ritu multis locis conſueto, & præterea a communione publice excludi. Nam lanium integræ fidei eſſe oportet circa adipem.

CAPUT VIII.

De nervo reſoluto ſeu luxato.

NErvi luxati interdictum obſervari ſolet tam in feris quam pecudibus mundis, imo & in iisdem ratio ejus habetur, cum diſcerptæ ſunt vel cadavera, & in fœtu maturo, qui non eſt partu editus, imo & in * ſacrificiis, ſive ea comedantur,

 tur,

* *In ſacrificiis.* Sive enim ſacrificia comederentur, ſive non comederentur, auferendus erat hic nervus. Sacerdos enim מוציאו ומשליכו על האש המתקן באמצע המזבח והוא הנקרא תפוח *extrahit eum & projicit in ignem inſtructum in medio altaris, qui vocatur pomum. Majm. Comm. Miſchn. ad Chullin cap. 7.*

tur, ſive non, nervoque tam ſiniſtri quam dextri femoris abſtinetur. Lege tamen non niſi *illa nervi pars vetita eſt, quæ eſt vicina acetabulo femoris: Sic enim dictum eſt (Gen. XXXII, 33.): *Nervum, qui eſt ſuper acetabulum femoris.* Reliqua autem nervi pars, tam quæ ſupra acetabulum femoris eſt, quam quæ ſub illo pergit usque ad finem ejus, ut & adeps, qui nervo adhæ-

* *Illa nervi pars.* Idem docet *R. Levi ben Gerſom:* לא מנעה התורה מגיד הנשה אלא מה שהיה ממנו על כף הירך לא מה שהיה ממנו בזולת המקום ההוא וזה מבואר ממה שאמר הכתוב אשר על כף הירך ואולם ח״זל לעשות משמרת למשמרת התורה אסרו הגיד הנשה כולו והצריכו לחטט אחריו במקומות שהוא מסתעף בהם כדי שנוציאהו בשלימות עם כל סעיפיו ואסרו ג״כ שמנו של גיד הנשה ולא הצריכו לחטט אחריו: *i. e. Lex non plus probibuit de nervo luxato, quam eam illius partem, quæ eſt ſuper acetabulum femoris, non autem tam illius partem, quæ eſt præter hunc locum, & manifeſtum eſt ex eo, quod dicit Scriptura* (Gen. XXXII, 33.) Qui eſt ſuper acetabulum femoris. *Sapientes autem noſtri f. m. ut facerent cuſtodiam cuſtodiæ Legis, probibuerunt integrum nervum luxatum, & juſſerunt nos inveſtigare eum iis locis, quibus ramos extendit, ut extrahamus eum integrum cum omnibus ramis ſuis, probibuerunt quoque adipem nervi luxati, non autem juſſerunt, ut eam inveſtigemus. Comment. in Legem fol.* 41. *col.* 2.

hæret, tantum ex ſcribarum decreto prohibetur. Duplex autem * eſt nervus, interior,

* *Duplex eſt nervus.* Alia erat hujus interdicti ratio, quam aliorum. Cum enim cæteri cibi, quibus abſtinebant Iſraëlitæ, immundi eſſent illis, nunquam hunc nervum tam fœdo nomine differunt, ſed tantum vetitum vocant: Eleganter *Lightfootus in Gen. XXXII. Opp. Tom. I. p.* 158. *Iſraëlitæ,* inquit, *nervo pepercerunt, atque id ipſum non ex abominatione ac deteſtatione, ſed honoris cauſa & ſingularis reverentiæ, quia gerebat monumentum impoſiti primum Iſraelis nominis.* Patet autem & hic apud *Majmonidem,* & *Chullin c.* 7. vehementer a vero aberraſſe viros quosdam eruditisſimos, dum exiſtimarunt, in lucta Jacobi cum angelo non læſum fuiſſe nervum aliquem, ſed ligamentum rotundum oſſis femoris; Sic *Junius* & *Tremellius* nervum, quem Iſraëlitæ non comedunt, *Gen.* 32, 33. vocant nervos *mutuos ſeu mutuatos, i e. quos cotyla vel acetabulum oſſis ſacri transmittit in coxam, tanquam ſi mutuos illi concederet.* Volunt dubio procul dicere, quos acetabulum coxæ vel oſſis iſchii transmittit ad os femoris. Nam in oſſe ſacro nullum ejusmodi acetabulum eſt, ſed tantum eminentiæ & profunditates quædam cartilagine veſtitæ, quæ aliis in oſſe ilio reſpondent. Rationes, cur hanc ſententiam præ aliis probent, has adducunt: *primum quia acetabulum ipſum præ duritie (nam oſſeum eſt,) nullis lacertis lædi poteſt, ac ne ipſi quidem nervi, qui profunde ſub acetabulo (maxime autem ad femina) in carne latent, deinde quia vix fieri poteſt, ut unus aliquis nervus ſolus in ea parte lacertorum impreſſione lædatur:* Sed ſi eum athletam ſpectamus, cum quo luctatus Jacobus aliquid humanis viribus majus patiendo deprehendit, non facile ibimus inficias, potuiſſe nervum

terior, qui propius ad os accedit, isque Lege vetitus eſt, & ſuperior (*ſ. exterior*,) & hic verbis ſcribarum.

II. Qui

nervum & potuiſſe ſolum lædi, quantumvis muſculorum inſignium carne tectus adverſus fortuitas injurias conſervetur: Pergunt Interpretes: *l. c. Præterea, quia brevi poſt tempore Jahakob incolumis in Schecemitarum agrum dicitur perveniſſe, infra c. 33. v.* 17 Sed ſi, ut illi volunt, luxatum fuiſſet os femoris, non ſine chirurgi ope & vix ea admota potuiſſet Jacobus deponere illam claudicationem, quæ ipſi tribuitur c. XXXII, 31. Conf. *Celſus de re medica l. VIII. c.* 20. Siquidem exiſtimandum eſt, eum unquam eo pede æque ac altero uti potuiſſe poſt id temporis, ut docent *Chaldæi Interpp ad b. l. Raſchi in Comment. ad h. l. Schabbath f.* 33. *b. Lightfootus Diſq. Chorograph. Joanni præmiſſa cap. III. §. I. n.* 1. exponentes verba hæc ויבא יעקב שלם עיר שכם h. m. *pervenitque Jacob incolumis ad urbem Sichemi.* Tandem ultima ratio, quam afferunt, hæc eſt: *Poſtremo quia ſic adhuc eſt Judæorum uſus, qui legitimorum animalium coxam guſtare non ſolent; Sed Chriſtianis & aliis, ubicunque locorum ſint, divendere.* Sed ex ipſa illa Judæorum conſuetudine patet, hujus expoſitionis veritatem vacillare: Quam facile enim foret ligamentum rotundum, quo os femoris iſchio annectitur, reſecare? cum illud præterea vix quisquam comedat, certe multo facilius, quam totas pecudum partes vel male vendendo vel donando perdere. Cur enim abſtinerent Judæi integro femore, ſi pars vetita facile poſſet reſcindi? Miror ſane, Tremellium, cum Exjudæus fuerit egregie eruditus, non obſervaſſe, cum inter Judæos viveret, quis ſit ille nervus, qui a peritis laniis ex-

trabi

II. Qui de nervi luxati interioris ea parte comedit, quæ acetabulo vicina eſt, is (*loro*) vapulat. Qui vero vel adipem ejus, vel

trahi ſolet, aut ex *Tract. Chullin c. 7.* meminiſſe, quis nervus Jacobi læſus fuerit. Irrepſit idem nævus in elegantisſimum ſcriptum Viri Celeberrimi *B. Th. Bartholini de morbis Biblicis: Caput*, inquit, *femoris ſuo ſinu ſeu vaſto coxendicis acetabulo excidit.* Verumenimvero quod nervus læſus ſit, ex eo patet, quod nervo abſtinendum fuerit. Nervus autem is, qui læſus fuit, eſt tertius cruralis, qui ex infimo lumborum & ſuperioribus osſis ſacri nervis in unum truncum coit, totius corporis maximus & durisſimus. Bene hunc *Joſephus latum nervum* vocat, γενομένου διὰ τὴν μάχην ἀλγήματος αὐτῷ περὶ τὸ νεῦρον τὸ πλατὺ αὐτός τε ἀπέχεται τῆς τούτου βρώσεως, καὶ δι' ἐκεῖνον οὐδ' ἡμῖν ἐστιν ἐδώδιμον. interpr. *Gelenio: quia latum nervum inter luctandum læſit, & ipſe poſt eo cibo abſtinuit, & nobis illo propter eum veſci non licet. Antiqq. l. 1. c.* 19. Eandem vocem retinet *Hieronymus: Cum angelo*, inquit, *luctatus, claudicare cœpit, &* πλατὺ νεῦρον *ejus emarcuit: adv. Jovinian. l. 1. p. m.* 31. Hunc nervum ita deſcribit *Paulus Fagius in Annot. ad Paraphr. Chald. Gen. c. XXXII. Nervus iſte nervus oblongus eſt, cujus caput conjunctum eſt oſſi, quod caudæ adhæret, & deſcendens exporrigitur ſuper coxendicem.* Dicitur hic nervus eſſe prope acetabulum femoris, quod conſtat non modo illa cavitate iſchii, in qua verſatur caput femoris osſis, ſed & ambitu muſculorum illud includentium. Priorem tantum appellationis cauſam amplectitur *R. David Kimchi in l. Radd.* כף לפי שהעצם שנכנס בו עצם הירך כפוף ויש מפרשים כי נקרא כן לפי שהבשר אשר סביב עצם הקוליות

vel aliquid de reliqua parte ejuſdem nervi, vel quicquam de toto nervo exteriore comedit, is plagis rebellionis afficitur. Quan-

הקולית העליונה עשויה כמין כף *Vocatur Caph, quia os illud, in quod ingreditur os femoris, concavum eſt: ſunt etiam, qui exponunt, quod vocetur Caph, quia caro, quæ eſt circum os iſchii, figura refert volam.* Nervum ipſum hoc modo deſcribit *Raſchi:* הוא גיד ארוך וראשו בעצם אליה ויורד ומתפשט על הכף וכשמגיע למקום חבור הקולית ועצם הירך שם הוא סמוך לעצם ומשם ואילך נכנס בצד פנימי של ירך שתחת הבשר לאורך הירך עד הארכובה התחתונה לצומת הגידין: *Nervus hic longus eſt, capite annexus oſſi ſacro, qui deſcendens extenditur ſuper acetabulum, cumque pervenit ad locum, ubi os femoris iſchio jungitur, ibi vicinus eſt oſſi: hinc porro transcurrit ad interiorem partem femoris ſub carne, ſecundum longitudinem femoris usque ad os tibiæ & conjunctionem nervorum.* Obiter hic moneo, quod ארכובה עליונה ſit *coxendix,* אמצעית *femur,* תחתונה *tibia:* Hæc etiam alio nomine vocatur ארכובה הנמכרת עם הראש *genu, quod cum capite vendi ſolet. v. Chullin c. 4. f. 76. a.* Spectanti autem, quomodo igitur ille Jacobi nervus læſus ſit, occurrit inter diverſas aliorum ſententias *R. Levi ben Gerſom*, qui præter alias duas hanc tertiam affert cauſam doloris in femore Jacobi: שקרה ליעקב מן העמל אשר יעמול בהעברת כל אשר לו בנחל ומקום המים ההם ונתחדש לו כאב מזה בכף הירך בעת השינה

Quanta autem portione abſumpta quis comediſſe cenſetur? Cum quantum eſt oliva comedit. Si quis autem comedit totam

---

השינה ולכן נדמה לו בחלומו שהתאבק עם איש ותקע כף ירכו בהתאבקו עמו : *Quod evenerit Jacobo ex labore, quem ſuſtinuerat traducendo quicquid poſſidebat per rivum, locumque illum aquoſum, unde dolor ei dormienti ſubortus ſit in acetabulo iſchii, & propterea viſus ſit ſibimet ſomnianti lucta congreſſus cum viro quoquam, qui inter luctandum ſecum acetabulum iſchii contuderit. Comm. ad Geneſ.* 32. Sed hanc imaginariam pugnam cum ſolidis argumentis ſolverit *Abarbanel Comm. ad l. c.* Gerſomidem refutare idem foret, quod actum agere. Reſolutus autem eſt nervus hoc modo: Angelus magna vi manus contudit & compreſſit muſculos, qui tegunt cinguntque caput femoris: quæ ſignificatio Radicis יקע magis quam in Hebræo manifeſta eſt in Arabico وقع, quod patet in derivata voce ميقعة, quæ ſignificat *inſtrumentum ligneum, quo veſtes a lotricibus contundi ſolent, ut & ligneam illam incudem, in qua fit ejusmodi percuſſio.* Hujusmodi vehementi preſſione nervus inter muſculos latens, cum propius admoveretur capiti oſſis femoris, quam fert natura, tonum amiſit, & ita reſolutus eſt, ut Jacobus, cum ab angelo relinqueretur, nec femur nec crus movere poſſet: יעקב לא היה יכול להתנועע ולזוז ממקומו כמו שנתקעקעה ירכו *Jacobus non poterat movere ſe, aut diſcedere ab eo loco, in quo erat, cum læſum eſſet femur ejus. Abarbanel l. c.* Impulſu autem ſpirituum nerveorum ex medulla ſpinæ

totam eam nervi partem, quæ acetabulo vicina eſt, quamvis ea forte non æquaret magnitudine olivam, vapulandum ei eſt, quia

---

ſpinæ dorſi, qui in robuſtorum hominum corporibus vehementior eſſe ſolet, ita tonum ſuum recepit nervus, & ſanitati redditus eſt Patriarcha, ut oriente ſole primum claudicare, mox accedente interdiu totius corporis motu, iterum ambulare cœperit, ut ex c. XXXIII, 18. paulo ante vidimus. Interim ex hac lucta nervus nomen accepit, ut גיד הנשה appelletur. *Raſchi* Etymologiam ita exponit præeunte *Gemara Chullin f.* 92. *col.* 1. ולמה נקרא שמו גיד הנשה לפי שנשה ממקומו ועלה והוא לשון קפיצה וכן נשתה גבורתם וכן כי נשני אלהים את כל עמלי *Cur vocatur* גיד הנשה *quia receſſit e loco ſuo & aſcendit. Significat enim h. l. vox* נשה *aſſultum, quemadmodum idem hoc verbum adhibetur Jerem. LI*,30. נשתה *i. e. receſſit potentia eorum, & pari modo Gen. XLI*, 51. *Removit a me* נשני *Deus omnem moleſtiam meam.* Comment. ad Gen. XXXII. LXX. Interpretes exponunt τὸ νεῦρον ὃ ἐνάρκησε, *i. e. nervus, qui obtorpuit. Vulgatus* pari modo habet: nervus, qui emarcuit; Deducta forte eſt utraque interpretatio ex ea ſignificatione vocis נשה, qua notat *oblivi ſci*, quaſi quis diceret: *nervus, qui ſui officii oblitus eſt.* Arabes nomen hoc ex verbo نسي deducunt, quod ſignificat: *nervum femoris læſit vel contudit*; hanc derivationem approbat *Hottingerus Smegm Orient. l. I. c.* 7. *p.* 176. Latinis commode poteſt appellari *nervus reſolutus.* Vocem tamen *nervi luxati* ſecutus doctiſſimos Philologos, quorum veſtigia

quia hujus partis eadem eſt ratio, quæ rei cujusquam alius per ſe integræ.

III. Si quis, quantum eſt oliva, de nervo dextro, & quantum eſt oliva, de ſiniſtro, vel utrumque nervum integrum comedit, licet neuter magnitudine olivam æquaret, octoginta plagis plectitur, & ſic propter ſingulos nervos vapulat.

IV. Avis nihil habet, in quod peccari poſſit nomine nervi luxati, quia ne quidem habet acetabulum femoris, ſed femori ejus caro * ſecundum longitudinem annexa

veſtigia veneror, retinui, cum ducerem mihi religioni terminos ab iis receptos mutare, quamvis fatear, me apud nullum Latinæ linguæ autorem probatum hanc vocem inveniſſe, cum vulgo membra & oſſa *luxari* dicantur, non autem nervi: Secundum analogiam tamen recte dici poteſt nervus *luxatus*. Λύω enim Græcis, *luo* Latinis eſt idem quod *ſolvo*, cujus frequentativum eſt *luxo*, quod æquipollet verbo *reſolvo*. Cum igitur Celſo autore nervum dicere poſſim reſolutum, quidni etiam dicere poſſem luxatum? Hic itaque eſt nervus ille *interior* Lege divina vetitus; alter verbis ſcribarum vetitus, eſt ſecundus nervus cruralis, qui *ſuperior ſeu exterior* vocatur, quia ſupra tertium cruralem e medulla lumborum oritur & in partes exteriores deſinit.

* *Secundum longitudinem.* i. e. Habent quidem aves aliquid ſimile acetabulo oſſis iſchii, non tamen quod exacte illud referat, & Judæi præterea ad cavitatem femo-

annexa eſt. Et ſi qna invenitur avis, cujus femur femori beſtiæ ſimile eſt, & cui eſt acetabulum, tum nervus ejus vetitus eſt, nec tamen propterea rei vapulant: Sic & nervus beſtiæ, cujus femori ſecundum longitudinem caro annexa eſt, ſicut avis, vetitus eſt, nec tamen qui eum comederunt, propterea vapulant.

V. Si quis nervum hunc luxatum pecudis vel feræ immundæ comedit, is impunis eſt, quia hujus interdicti ratio non habetur in animalibus immundis, ſed in iis tan-

femoris requirunt, ut eo pertineat ſupercilium iſchii, & ut muſculi, qui caput femoris tegunt, incurvi ſint, quo melius illud foveant, ſed hoc in avibus deprehendi non poteſt. Conf. quæ diſputant Talmudici, *Chullin f.* 92. *b. Raſchi Comment. ad Chullin f.* 89 *b.* docet, (quemadmodum ſupra etiam ex *Kimchio* oſtendi) quod כף etiam ſignificet: פולפא הנכרכה סביבות עצם הקולית העליונה סביב בעיגול אבל עוף אינו כן שהבשר שעל הקולית ברוחב הוא ואינו דומה לכף ר"ל כף שעל גב הירך: *pulpam undique cingentem os iſchii ex omni latere; In ave autem aliter res habet. Caro enim, quæ in ea eſt ſuper iſchium, in longitudinem extenſa, nec ſimilis volæ eſt, i.e. cavitati, quæ foret ſuper femur.* Pari modo *Majmonides* noſter: אין לו כף ירך דומה לשל אדם שהוא עגול *non eſt ei acetabulum femoris ſimile humano, quod undique concavum eſt.* *Comment. Miſchn. f.* 148. *col.* 1.

tantum, quibus alioquin totis veſci licet: nec eodem modo deliquiſſe cenſetur, ac qui aliquid de reliquo corpore ejus comedit; quia nervi * non continentur nomine carnis, ut ſupra docuimus; ſi vero de adipe, qui nervum tegit, comedit, æque peccaſſe judicatur, ac ſi de ipſa ſubſtantia ejus comediſſet.

VI. Qui nervum luxatum cadaveris vel diſcerpti aut holocauſti comedit, bis reus eſt, quia interdicto reliqui corporis, quo ante (*quam moreretur*, *diſcerperetur*, *vel conſecraretur*,) veſci licuerat, ſimul comprehenditur nervus luxatus, & jam præterea accedit interdictum aliud.

VII. Qui aufert ** nervum luxatum, cum oportet ſcrutando eruere eum, donec de

* *Nervi non continentur.* Vide ſupra *cap. IV. hal.* 18. *p.* 51. quia nimirum nervi non ſunt pars corporis eſui apta.

* *Qui aufert nervum luxatum.* Habetur hæc deciſio *Chullin c. VII. f.* 92. Nimirum quemadmodum lanii Judæorum adipem vetitum auferendo, carnem reliquam animalis mactati reddunt eſui aptam, ſic femur, extrahendo nervum integrum accurate cum adipe ſuo, & ſecundum Moſis Legem & Rabbinorum ſtatuta idoneum culinis facere poſſunt, qui artem didicerunt: גיד הנשה מחטט אחריו כל מקום

de eo nihil remaneat, & fides habetur lanio, tam de nervo luxato, quam de adipe, nec recipi ſolet caro ab ullo mactatore, niſi ſit homo integer & bonæ exiſtimationis, de ea re, quod licitam carnem vendat. Ejusmodi enim hominem oportet eſſe eum, qui quod privatim mactavit vendens fidem invenit.

extra

מקום שהוא וחותך שמנו מעיקרו *Nervum luxatum, ubi ubi eſt, lanius inveſtigat & a radicibus adipem ejus reſecat. Ibid.* Sed adipem quidem omnes lanii auferre norunt, nervum vero hunc paucisſimi, unde poſteriores pecudum partes vel Chriſtianis vendunt, vel ſi nequeunt vendere, donant. J. J. *Schudt* Jüdiſche Merckwürdigkeiten *l.* 6. *c.* 22. §. 7. & 8. *R. Leo Mutinenſis* de his rebus ita loquitur: *Non mangiano ſeuo di bue, agnello, ne capra, come nel Leu. c.* 3. *al fine:* Nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis. *Ne il nervo della coſcia dalla Geneſis c.* 32. *al fine:* Quamobrem non comedunt filii Iſraël &c. *e pero dagli animali che mangiano purgano con ogni diligenza ogni ſeuo & il detto nervo. Di qui é che in molti luoghi d' Italia & Allemagna in particolare non mangiano li quatri di dietro delli detti animali, perche vi é quel nervo, e molto ſeuo, e ci vuol molta diligenza nel purgarli, e pochi hanno detta pratica. De' riti Hebr. part.* 2. *c.* 7. Olim videntur Iſraelitæ hujus Anatomiæ magis periti fuiſſe. Nam *Iſraëlitæ non abſtinebant ab eſu membri, in quo iſte nervus inerat, velut femore ovillo aut bubulo. Femora enim agnorum Paſchalium edi debebant. Ex. XII,* 10.; *ſed nervo pepercerunt. Lightfoot. in Gen. XXXII. Opp. Tom. I. p.* 158.

VIII. Hæc ſunt, quæ dicuntur de loco extra terram Iſraëliticam ſito; Sed olim in terra Iſraëlitica, cum ea ad Iſraëlitas tota pertineret, recipi poterat caro a quovis homine.

IX. Si quis lanius, qui perſpectæ fidei eſſe creditur, carnes vendit, & cognoſcitur, ab eo venditam eſſe carnem cadaveris vel diſcerpti, is non modo argentum emptori reddere tenetur, ſed & anathemate & infamia plectitur, nec unquam in eam exiſtimationem redire poteſt, ut ab eo carnem recipere liceat, niſi abeat in locum alium, cujus incolæ eum non norint, ibique damnum re ſpectabili compenſet, vel privatim emptam inſigni ſumma pecuniæ pecudem mactet, demonſtretque, eam fuiſſe diſcerptam, ut ſic evidenter pateat, eum ſine fraude egiſſe pœnitentiam.

X. Si quis accipit carnem, eamque mittit per alium de plebe (*ſc. Iſraëlitam*) huic plebejo fides habetur de ea re, quamvis alioqui hic non adeo perſpectæ foret integritatis, nec quiſquam metuit, ne eam forte permutet, imo & ſervi Iſraëlitarum & ancillæ eorum hac in re fidem inve-

 niunt:

niunt: non autem licet tradere Cuthæo; verendum quippe eſt, ne carnem acceptam alia permutet.

XI. Sicubi ſunt decem tabernæ, quarum novem carnem legitime mactatam vendunt, decima vero cadavera, & quis ex quadam earum carnem accepit, ſed oblivioni tradidit, quænam ea ſit, ea veſci vetitum eſt, quod enim fixum eſt, rationem habet dimidii dimidio oppoſiti. Si vero caro reperitur projecta in platea, ſecundum plura æſtimatur. Quod enim ſeparatum eſt, e multitudine ſeparatum videtur; Si itaque plerique venditores ſunt Cuthæi, vetita eſt; ſi plerique ſunt Iſraëlitæ, ea veſci licet.

XII. Sic quoque caro, quæ penes Cuthæum invenitur, qui novit, a quo eam acceperit, ſi venditores carnis ſunt Iſraëlitæ, licita eſt, idque ſi cauſa ex præſcripto Legis decidenda eſt. Sed jamdudum ſapientes prohibuerunt omnem carnem, quæ invenitur vel in platea * vel in manu Cuthæi,

* *In platea vel manu Cuthæi.* Eadem enim eſt utriusque ratio ſecundum *Talm Hieroſ.* הנמצא ביד גוי כנמצא בפלטיא *Quod in manu Ethnici reperitur, par eſt ei, quod in platea reperitur. Schekalim c.* 7. *p.* 26

thæi, quamvis omnes mactatores & venditores forent Iſraëlitæ. Imo amplius, ſi quis carnem in domo ſua recondit, ita ut ab oculis remota ſit, ea vetita eſt, niſi vel ſigno quodam vel ſolo oculorum intuitu noſſe queat, quod eadem caro ſit, vel eam clauſerit aut obſignaverit.

XIII. Si quis ſuſpendit vas plenum ſegmentorum carnis, & fracto forte vaſe, illa ſegmenta in terram decidunt, adveniensque humi ea invenit, nec ſigno aliquo vel oculorum intuitu illa noſſe poteſt, tum caro illa eſt vetita. Poſſet enim quisquam dicere, quod carnem illam, quæ erat in vaſe, fera vel animal reptile devoraverit, & hæc ſit alia caro.

XIV. Nervo luxato (*quamvis veſci non liceat,*) * uti tamen licet. Poteſt igitur

p. 26. *edit. Francof.* Autor tamen *Maggid Miſchne* docet: שרעת הרבה מן המפרשים לומר דבנמצא ביד גוי במקום שרוב טבחי ישראל מותר ומכל מקום ראוי להחמיר בדבר: *Quod plerique interpretes exiſtiment, carnem, quæ penes Ethnicum invenitur, ejusmodi loco, ubi plerique lanii ſunt Iſraëlitæ, licitam eſſe, ſed utcunque res habeat, conveniens ſit, arctiores limites præſcribere.*

* *Uti tamen licet.* Nam *Gen.* 32. 33. dicitur tantum

Iſraëlita dono mittere extraneo femur, in quo eſt nervus luxatus, & dare ei femur inte-

לא יאכלו בני ישראל *non comedent filii Iſraël,* non autem ſimpliciter לא יאכל *non comedetur;* modo ne igitur Iſraëlita ipſe comedat, licet ei utique cuivis alii, qui popularis ejus non eſt, comedendum præbere. Nonnulli tamen adeo ſuperſtitioſi ſunt, ut ne hoc quidem modo cenſeant licitum eſſe nervo reſoluto uti, ut præter alios ex *Rabbenu Aſcher* locum adducit *R. Selomo Luria:* ראיתי באשכנז שמוכרין גיד הנשה לגוי ובשאר ארצות נזהרו אף לאכילה לחתול ונראה דמותר בהנאה *In Germania vidi, quod vendant nervum luxatum ethnicis* (i. e. Chriſtianis,) *in reliquis autem regionibus cavent, ne vel feli objiciant devorandum. Videtur tamen uſibus conceſſus eſſe nervus. Ammude Schelomo interd.* 139. Totidem verbis quot Autor noſter aſſerit *Miſchna Chullin c. 7. fol* 93. *b.* quod liceat femur, in quo eſt nervus, mittere Ethnico: addit *Gemara* שלמה אין חתוכה *integrum, non autem diſſectum:* ad quæ verba ſic commentatur *Raſchi:* ירך שלמה משמע חתכה לא אלא אם כן ניטל גידה דכיון דחתוכה היא סבר הלוקחה מן הנכרי שניטל גידה ואכלה בגידה *ſcilicet femur integrum, non autem diſſectum, niſi ablatus ſit nervus. Cum enim diſſectum eſt, exiſtimare poteſt, qui accipit illud ab extraneo, ablatum eſſe nervum, & comedere illud ſimul cum nervo. Comment. ad l. c.* Scandali ergo evitandi cauſa ſatius duxerunt Rabbini, omnino nec vendere nec donare homini extraneo femur cum nervo diſſectum, Iſraëlita vidente, quam cuiquam autoritate dantium freto præbere occaſionem peccandi.

integrum etiam ſpectante Iſraëlita, nec quisquam ſolicitus eſt, ne forte propterea hic Iſraëlita de illo comedat, antequam de eo nervus iſte auferatur, quia ecce locus ejus notus eſt. Si vero femur diſſectum eſt, non licet tradere Cuthæo, vidente Iſraëlita alio, niſi ablato nervo, ne forte Iſraëlita de eo comedat.

XV. Ubicunque in Lege dicitur: Non comedes, non comedetis, non comedentur, non comedetur, alterum eſt interdictum eſus, alterum interdictum uſus, ſcilicet donec aliquid tibi Scriptura determinet, quemadmodum determinavit de cadavere, de quo dicitur: *Deut. XIV*, 21. *Peregrino, qui eſt intra portas tuas, dabis illud, ut eo veſcatur*, & de adipe, de quo dicitur: *Eo facere licet quodcunque opus*, *Lev. VII*, 23. 24. aut donec exponatur per Legem oralem, quod uſui conceſſum ſit, v. g. abominanda & repentia animalia, & ſanguis membri de vivente, & nervus luxatus, quæ omnia, licet comedere vetitum ſit Lege, in alios tamen uſus convertere ſecundum traditionem licet.

XVI. Si quis ejusmodi cibo, quo uti vetitum eſt, ita uſus eſt, ut tamen non comederit,

derit, v. g. ſi vendidit vel donavit Cuthæis, aut objecit canibus, is non quidem loro vapulat, plectitur tamen verberibus rebellionis; ſed pecunia, quam quis hoc modo acquiſivit, licita eſt. Quamvis liceat uti re quavis eſui interdicta, ſed uſui conceſſa, vetitum tamen eſt ea * exercere mercaturam, & conſtituere negotium ſuum in rebus prohibitis, præter adipem, de quo dicitur: *l. c. Eo facere licet quodcunque opus.* Propterea non licet exercere mercaturam nec cadaveribus, nec diſcerptis, nec abominandis, nec repentibus animalibus.

XVII.

* *Exercere mercaturam.* Diſtinctione tamen aliqua hic opus eſt, quam commode affert Autor *Maggid Miſchne:* דע שאין זה אלא דווקא במה שהוא אסור באכילה ואינו עומד למלאכה אבל מה שעומד למלאכה כגון חמור וגמל מותר לעשות בהן סחורה שהרי אין לחוש בהן מחמת אכילה: *Sciendum eſt, quod hoc non valeat niſi tantum de eo, quod eſui interdictum eſt, & non poſſidetur propter operam. Quicquid autem propter operam poſſidetur, v. c. aſinus & camelus, eo licitum eſt mercaturam exercere. Non enim periculum eſt, ne forte ejusmodi animalia mercator comedat. Ad h. l.*

XVII. Venator, (*piſcator, vel auceps*) cui obtigit fera aut avis immunda, aut piſcis immundus, eaque animalia capit, aut qui animalia munda cum immundis venatus eſt, utraque *vendere poteſt, ita tamen, ut non dirigat negotium ſuum ad animalia immunda: ſed mercaturam exercere licet lacte, quod mulſit Cuthæus, non vidente Iſraëlita, & caſeo Cuthæorum aliisque ſimilibus rebus.

XIIX. Hæc eſt regula generalis: Quicquid Lege vetitum eſt, eo non licet exercere mercaturam; quicquid autem Scribarum interdicto vetitum eſt, eo mercaturam exercere licet, ſive certum ſit, quod eo interdicto comprehendatur, ſive dubium, num eo ſpectet.

---

* *Vendere poteſt.* Hinc manifeſtum eſt, quod vetitis beſtiis, avibus & piſcibus, quum veſci non liceat, uti conceſſum ſit; quod ſupra non monuit *Autor*, quia hoc loco ejus rei mentionem facturus erat.

CAPUT IX.

De carne in lacte.

CArnem in lacte * coquere vel comedere vetitum eſt Lege, imo vetitus eſt ejus uſus, & ea terrâ obruenda eſt, cinisque ejus vetitus eſt, velut etiam cinis reliquarum rerum, quæ terra obrui ſolent: Et qui carnis cum lacte junctæ tantum ſimul coxerit, ut magnitudine olivam æquet, vapulat, quia dicitur: *NE coquas bædum in lacte matris ſuæ.* (Ex. XXIII, 19. &c.) Et ſic quoque, qui comedit, quantum eſt oliva, de utroque juncto, vapulat, quamvis non coxerit.

II. Pro-

* *Coquere vel comedere.* Ter occurrit idem hoc interdictum in S. Scriptura totidem verbis. *Ex. XXIII*, 19. *cap. XXXIV*, 26. *Deut. XIV*, 21. Hinc triplex interdictum elicere arguta ratione conatur *Raſchi*: לא תבשל גדי אזהרה לבשר בחלב ושלשה פעמים כתוב בתורה אחד לאכילה ואחד להנאה ואחד לאסור בישול *Ne coquas hædum &c. hoc eſt interdictum carnis in lacte: Ter autem idem ſcriptum eſt in Lege: primo, ut diſcamus, vetitum eſſe ejus eſum; ſecundo, ut cognoſcamus, etiam uſum eſſe interdictum; tertio, ut prohibeatur etiam coctura. Comment. ad Ex. XXXIV*, 26. Eadem fere habet *ad Ex. XXIII*, 19.

II. Propterea non fecit Scriptura mentionem comeſtionis, quia locuta eſt * de coctura, quaſi diceret: *Ne quid dicam de comeſtura, ipſa etiam coctura vetita eſt.* Quemadmodum in interdicto de vetitis conjugiis, mentionem filiæ omiſit, quia facta eſt mentio de *nepte ex filia.* (Lev. XIIX, 10.)

III. In Lege tantum vetita eſt caro pecudis mundæ in lacte pecudis mundæ, quia dictum eſt l. c. ** *Ne coquas hædum in lacte*

 matris

* *De coctura.* Cum enim ideo cibus coqui ſoleat, ut comedatur, oportet comeſturam non minus imo vel magis vetitam eſſe. Eleganter hunc in rem & accurate *R. Levi ben Gerſom*: ראוי שתדע שאכילתו פסולה מן התורה ר"ל אכילת בשר בחלב וזה כי התורה מנעה בבשולו שהוא לתכלית האכילה וכל שכן שמנעה אכילתו ולזה תכלול האזהרה מחבישול שתי אזהרות אזהרת הבישול ואזהרה מהאכילה *Oportet te noſſe, quod comeſtura carnis in lacte vetita ſit Lege, idque quia Lex probibuit cocturam ejus, quæ fit propter comeſturam, quanto magis igitur comeſturam ipſam. Et propterea hoc interdictum cocturæ duo comprehendit, interdictum nempe cocturæ & interdictum comeſturæ. Comment. in Leg. fol.* 98. *col.* 3.

** *Ne coquas hædum in lacte matris ſuæ.* Interdicti hujus gravitatem vel inde æſtimare licet, quod ter diſtinctis vicibus Deus, qui minime eſt inaniloquus, illud

matris ſuæ. Hædi autem nomine compre-

illud repetere voluerit, ut ſupra vidimus. Quam edicti ſeveritatem perſpiciens quisquis fuit, qui *Samaritanis* characteribus Hebræum textum deſcripſit, immani temeritate hæc verbis Moſis adjicere auſus eſt: ועשה זאת כזבח שכח ועברה היא לאלהי יעקוב׃ *Et qui hoc facit, ſimilis eſt ei, qui abominationem ſacrificat, idque ad iram promovet Deum Jacobi.* Ne exiſtimemus, hæc verba eſſe Moſaica, ipſe ſuo indicio ſe prodit ſorex: ut taceam, quæ dici poſſent de ea re, quod vox יעקוב hic inſerta litera ו ſcripta ſit, quid verbi quæſo eſt שכח? Multum in hac voce laborarunt viri eruditi, *Bochartus Hieroz. P. I. l. 2. c. 52. Hottingerus Exercit. Antimorin th. 70. Spencerus de Legg. Hebr. Ritual. L. II. c. p m. 275.* Et ſane vox hæc Hebræa non eſt. Si vero quis ſpectaverit, indifferens prope Samaritanis eſſe, num ע vel ח ſcribant, dubio procul hanc vocem in Arabico شكع inveniet, quod habet ſignificationem *tædio ad iram provocandi.* Ipſa autem hæc vox Arabica natales debet Hebræo שקץ mutationibus adhibitis, quæ frequentisſime occurrunt in vocibus Chaldaicis, Syris, Samaritanis & Arabicis ex Hebræa lingua derivandis, ut videlicet ק in literam ejusdem organi כ transſeat, & ץ in ע, ut fit cum תכן formatur ex תקן & ארע ex ארץ; Sed ut e diverticulo redeamus in viam, quamvis plana & perſpicua videantur Moſis verba, adeo fertiles tamen commentorum invenerunt interpretes, ut ſex omnino ſententias variantes recenſeat *Bochartus l. c.* quas, cui volupe eſt legere, apud eum inveniet; ego, ut numerum augeam,

prehenditur fœtus bovis, ovis & capræ, niſi

augeam, duas alias adjiciam ex Aben-Ezra. Fuerunt nimirum, qui exiſtimarent, כי גדי מגזרת מגר, quod hoc loco vox גדי *hædus, eandem habeat notationem & originem, quam* מגר *fructus arboris.* וזה חשבו בעבור שמצאו זאת במצות עם ראשית בכורי אדמתך *& in eam opinionem propterea delapſi ſunt, quia invenerunt hoc inter præcepta, apud illud quod eſt de primitiis proventuum terræ.* Sed bene hanc ſententiam refutat cum *Aben-Eſra, R. Samuel Zarza* in *Mekor Chaijim f. 48. col. 4.* אנה מצאנו שנקראת לחות העץ חלב *ubi invenimus, quod vocetur humor arboris lac?* & אנה נקרא העץ אמו *ubi vocatur arbor fructuum mater?* Altera eſt opinio, quod לא תבשל כמו לא תאחר שיעמוד עם אמו יותר משבעת ימים non coques *ſit idem quod* non tardabis, *i. e. ut maneat fœtus primogenitus apud matrem ſuam amplius quam dies ſeptem.* Conf. *Exod. XXII, 29.* Sed & cum Aben-Ezra hanc ſententiam ſuis fautoribus relinquimus. Cæterum plerique Judæi exiſtimant, his verbis prohiberi omnem conjunctionem lactis cum carne, unde adeo ſuperſtitioſi ſunt, ut non modo non eadem vice caſeum vel lac imponant menſæ, qua adeſt caro, ſed & ad utriusque eſum diverſis utantur cochlearibus, cultris, vaſis & mappis, & ut dignoſci queant, mappæ angulo, qua ad lacticinia utuntur, inſcribant חלב *lac*, illam vero, quam ad carnes uſurpant, voce בשר *caro*, notent. Quomodo autem interdictum adeo generale ex tam ſpeciali poſſit deduci, ambigunt. *Onkelos* ſimpliciter vertit

niſi ſpeciatim determinetur, dicendo:

Hæ-

---

vertit ex mente Judæorum: לא תיכלון בשר בחלב *Ne comedatis carnem in lacte.* Pari modo *Targum Jeruſalemitanum* habet לא אתון רשאין לא לבשלא ולא למיכלא בשר וחלב מעורבין בהדא *Non licet vobis coquere neque comedere carnem cum lacte ſimul commixtam.* Eundem modum exponendi verba Legis, quem Autor noſter adhibuit, etiam *Raſchi* ſuo calculo approbat: לא תבשל גדי אף עגל וכבש בכלל גדי שאין גדי אלא לשון ולד רך ממה אתה מוצא בכמה מקומות בתורה שכתוב גדי והוצרך לפרש אחריו עזים כגון אנכי אשלח גדי עזים את גדי העזים שני גדיי עזים ללמדך שכל מקום שנאמר גדי סתם אף עגל וכבש במשמע Ne coquas hædum &c. *etiam* גדי *nomine hædi comprehenditur vitulus & agnus:* גדי *enim nihil aliud notat quam fœtum tenerum. Hinc plurimis locis in Pentateucho invenies, quod voci* גדי *opus fuerit explicationis ergo ſubjungere vocem* עזים *caprarum, quemadmodum; (Gen. XXXIIX, 17.)* Ego mittam hædum caprarum, *(ibid. v. 20.)* hædum caprarum, *(cap. XXVII, 9.)* duos hædos caprarum, *ut hic loquendi modus te edoceat, quod ubicunque ſimpliciter ſcriptum eſt* גדי, *illud etiam de vitulo & agno poſſit intelligi. Comment. ad Gen. XXIII.* Accurate, ut ſolet, hic quoque Raſchi expreſſit mentem *Talmudicorum* ex *Chullin f.* 113. *b.* Minus bene *R. I. ben Gerſom:* לא תבשל גדי בחלב אמו הוא הדין לשאר בהמות וחיות טהורות שיש להם חלב

Hædus caprarum. Neque adeo ſtricte intelli-

חלב אם והעוף אין לו חלב אם ובישולו אסור Ne coquas hædum in lacte matris ſuæ: *idem valet de reliquis pecudibus & feris mundis, quibus eſt lac maternum: avis autem, licet non habeat lac maternum, coctura tamen vetita eſt. Comment. in Pentat. fol* 98. *col.* 3. Male, inquam, feras conjunxit cum pecudibus. Nam harum carnem hoc modo condire vetitum eſt Lege, non autem illarum, ut expreſſe dicitur in *Chullin f.* 113. חיה ועוף אינם מן התורה שנאמר גדי בחלב אמו שלש פעמים פרט לחיה לעוף ובהמה טמאה *fera & avis non vetitæ ſunt Lege, quia dicitur:* Hædum in lacte matris ſuæ *tribus vicibus, ut excipiatur fera, avis & pecus immunda. LXX. Interpretes* etiam intellexerunt non hædum ſolum hoc loco eſſe vetitum, ſed mentem ſuam non ſatis aperte expreſſerunt, pro voce ἔριφον, qua alioqui reddere ſolent Hebræum גדי, hic ſcribentes ἄρνα. Utcunque illi hanc vocem voluerint intellectam, temeritatem *Aben Ezræ* miror, qui Raſchio & cum eo Talmudicis l. c. in os contradicere auſus eſt negando, quod vox גדי ſignificare poſſit agnum vel vitulum: גדי לא יקרא רק שהוא מהעזים ובלשון ערבי הוא גדי ולא יאמר על מין אחר רק יש יפרש בין גדי ובין גדי עזים כי גדי גדול מגדי עזים כי עודנו צריך היותו עם העזים *Voce* גדי *tantum appellatur fœtus caprarum, & eum tantum vox* גדי *in lingua Arabica ſignificat, nec dicitur de alia ſpecie; eſt tamen hæc differentia inter hædum & hædum caprarum, quod hædus hædo caprarum major ſit. Hic enim*

telligenda ſunt verba de hædo in lacte ma-
tris

enim tantum ille eſt, cui opus eſt manere apud capras. Comm. l. c. Nimirum ſubtilis eſt hæc diſtinctio inter hædum & hædum caprarum, & talis, ut hic locum invenire non poſſit, cum ita ſequeretur, Deum majorum tantum hædorum cocturam in lacte prohibuiſſe, non etiam minorum, quod ne cum ipſius quidem Aben-Ezræ expoſitione conciliari poteſt. Et præterea Raſchi expoſitio Talmudicorum face ita illuſtratur, ut contra eam nihil valeat harmonia linguæ Arabicæ, quippe quam non niſi in deploratis Radicibus vocamus in ſubſidium: Non autem licet ex harmonia hac negative argumentari, ut fecit Aben-Ezra h. m. Non habet vox גדי ſignificationem vituli vel agni in lingua Arabica, ergo nec in Hebræa. Aliam ipſe Aben-Ezra inſiſtit viam demonſtrandi interdicti tam particularis univerſalitatem. Vult enim ideo tantum commemorari hædum, quia is ſolus in lacte coctus comedi ſoleat, cauſasque affert phyſicas, cur cum hædis in lacte coctis hodieque veſci ſoleant Muhammedani aliæque gentes, (idem de Hiſpanis aſſerit *Abarbanel Comment. ad Exod. XXIII.*) non etiam comedant carnem ovillam & bubulam pari modo conditam. Itaque putat, Scriptorem S. nomine ejus, qua veſci ſolerent idololatræ, etiam prohibuiſſe reliquas carnes. Nomine matris etiam cujusvis pecudis lac vetitum eſſe exiſtimat, quia, qui lac emit in platea vel foro, neſciat, an hoc matris lac ſit, nec ne, adeoque cum dubium ſit, vetitum quoque eſſe, ullum lac ad eos uſus adhibere. Hoc modo ille probare ſatagit, quod lac matris omne lac ſignificet. *Moſes* vero *Nachmanides* ait: כל בשר בחלב יכנס בלבו הזה כי כל מקנה תקרא אם וכל יונק יקרא גדי *Omnis caro in lacte comprehendi-*

tris ſuæ, loquitur vero Scriptura de re obvia. Sed caro pecudis mundæ in lacte * immundæ pecudis, aut caro immundæ pecudis in lacte mundi coqui poteſt, eaque uti licet, &, quodſi quis ea veſceretur, non vapularet eo nomine, quod comediſſet carnem in lacte.

IV. Et ſic caro feræ vel avis ſive in lacte feræ ſive pecudis, non eſt eſui interdicta Lege, eamque ſic coquere, eaque uti licet.

Ex

henditur hoc interdicto, quia omnis pecus vocatur mater, omnisque fœtus lactens vocatur hædus. Comment. ad Deut. XIV. Sed licet prolixe hanc in rem diſputent Talmudici, *Chullin f.* 114. *a.* nondum tamen mihi perſuaſerunt, aliam matrem hic eſſe intelligendam, quam quæ hædum illum, agnum, vel vitulum pepcrit, aut parere potuit, id eſt, quæ eſt ejusdem ſpeciei, ut ſic in alius ſpeciei lacte carnem coquere, v.g. agninam in bubulo, non divina Lege explicite vetitum ſit, ſed tantum per conſequentias quascunque inde deductum. Poſtmodum auctum eſt paulatim interdictum conſtitutionibus Rabbinorum, quarum complures in hoc capite ab Autore noſtro recenſentur.

* *Immundæ pecudis.* Cum enim immundæ pecudes nec nomine גדי comprehendantur, nec poſſit iis reſpectu mundarum competere nomen matris, ſequitur, quod ſint מותרים בבישול ובהנאה ſeu *quod licite coqui & uſurpari queant* carnes mundarum pecudum in lacte immundarum, vel immundarum carnes in lacte mundarum. *Schylchan Aruch Jore Dea c.* 87. *n.* 3.

Ex verbis autem Scribarum eſui interdicta eſt, ne erumperent homines & violarent interdictum Legis de carne in lacte, & comederent carnem pecudis mundæ in lacte pecudis mundæ, quippe cum verbis Scripturæ non amplius prohibeatur, quam hædus in lacte matris ſuæ, propterea prohibuerunt omnem carnem in lacte.

V. Piſces & locuſtas in lacte comedere licet, & ſi quis mactans avem in ea invenit ova integra, ea etiam cum lacte coquere licet.

VI. Si quis carnem cum lacte fumo inficit, aut in *thermis Tiberiadis coquit, non

* *In thermis Tiberiadis.* Celebres ſunt thermæ Tiberiadis, quas hic exempli loco autor noſter adducit. Joſephus narrat, Herodem tetrarcham, cum urbem Tiberiada conderet in honorem Tiberii Cæſaris, elegiſſe optimum locum Galilææ in ora lacus Genneſaritici, *θέρμα δὲ ἐκ ἄπωθεν ἔνεϛιν ἐν κώμῃ ἀμμαοῦς ὄνομα αὐτῇ, unde non longe apud Emmauntem vicum ſunt aquæ calidæ.* Antiqu. *l. XIIX. c.* 3. Ad oppidum nimirum, quod a thermis nomen Chammath accepit, quodque poſtmodum cum Tiberiade in unam urbem coaluit; ſed Joſephus leviter immutavit nomen *Chammath* in *Ammaus.* Plinius *Tiberiada* vocat *aquis calidis ſalubrem* Hiſt. Nat. *lib. V. c.* 15. Judæi has thermas de aquis diluvii ſupereſſe fabulantur. *Sanhedrin f.* 108. *p.* I.

non propterea vapulat, ſic & qui coquit carnem in ſero lactis, aut in lacte mortuæ, aut in lacte maſculi, aut ſi quis coxit ſanguinem in lacte, a plagis liber eſt, nec ſi comedit, eo nomine vapulat, quod carnem in lacte comederit. Si quis vero in lacte coxit carnem ſine mactatione mortuæ pecudis, vel adipem &c. vapulat quidem propter cocturam, propter comeſturam vero non vapulat nomine carnis in lacte, quia interdictum carnis in lacte non incidere poteſt in interdictum cadaveris, aut interdictum adipis. Hæc enim interdicta cohærere non poſſunt, nec tanquam generale cum ſpeciali, nec velut alterum interdictum alteri annexum, nec velut interdictum, quod ſimul eadem vice violari poteſt.

VII. Si quis fœtum maturum ſed partu non editum coquit in lacte, reus eſt, & ſic quoque, qui eo veſcitur. Sed qui coquit ſecundas, aut pellem, nervos, oſſa, radices cornuum, aut molles ungulas, in lacte, liber eſt, & ſic quoque, qui iis veſcitur, liber eſt.

VIII. Si caro incidit in lac, vel lac effuſum eſt in carnem, & cum ea coctum eſt,

adhibenda eſt dimenſio ea, qua cognoſcatur, num ſaporem præbeat, v. c. ſi ſegmentum carnis decidit in ollam lactis, dum hoc coquitur, guſtandum præbetur ethnico id, quod eſt in olla, qui ſi dicit, lac quendam habere carnis ſaporem, vetitum eſt; ſi negat, licitum eſt; ſegmentum vero illud vetitum. Hæc, quæ dicta ſunt, tum valent, cum quis extraxit ſegmentum illud, antequam iterum effundat lac, quod abſorpſit; Si vero non ante extractum eſt, adhibenda erit dimenſio ſecundum partes ſexageſimas, quia lac, quod ab eo abſorptum & hoc modo factum eſt vetitum, iterum ex eo emanavit mixtumque eſt reliquo lacti.

IX. Si lac incidit in ollam carnis, pari modo deguſtandum eſt illud ſegmentum, cui inſperſum eſt, & ſi in eo lactis ſapor animadverti nequit, tum quicquid in olla eſt, licitum eſt; Si vero ſegmentum illud reſipit lac, quamvis non relinqueretur ejusmodi ſapor, ſi quis ſegmentum illud detergeret, quia tamen jam habet ſaporem lactis, vetitum eſt illud ſegmentum, & menſuratur, quicquid eſt in olla; ſi omne illud, quod in olla eſt, id eſt, tam caro diſ-

ſecta

ſecta quam olera, & jus cum condimentis, tantum eſt, ut ſegmentum illud ſit modo ſexageſima pars totius, ſegmentum illud vetitum eſt, reliqua autem, quæ olla continentur, licita ſunt.

X. Hæc dicta ſunt de eo caſu, ſi quis non agitavit cochleari id, quod eſt in olla ab initio, cum incideret lac, ſed tantum in fine cocturæ, & non texit operculo; Si vero agitavit ab initio ad finem, aut texit ab eo tempore, cum incideret lac, usque ad finem cocturæ, ecce illud ſaporem præbet. Sic quoque, ſi lac incidit in jus aut in omnia ſegmenta, ita ut non diſtingui poſſit, in quodnam ſegmentum inciderit, agitandum eſt quicquid eſt in olla, donec hoc motu omnia commiſceantur ſuprema imis; Si tum, quicquid eſt in olla, reſipit lac, tum omnia contenta vetita ſunt; Sin minus, licita cenſentur; Si non inveniri poteſt Ethnicus, cui prægustanti tuto fides haberi queat, dimenſio ſecundum ſexageſimas partes uſurpanda eſt, ſive circa carnem in lacte, ſive circa lac in carne; Si una pars ſexageſima totius tantum eſt id quod incidit, reliquum eſt licitum; ſi plus eſt,

quod incidit, quam pars ſexageſima, totum illud, in quod incidit, vetitum eſt.

XI. In olla, in qua cocta eſt caro, non coquendum eſt lac, ſi enim coquitur, cenſetur olla aliquem ſaporem præbere.

XII. Uberibus veſci vetitum eſt ex conſtitutione Scribarum. Nam caro, quæ coquitur in lacte mactatæ pecudis, non vetita eſt Lege, quemadmodum expoſuimus. Propterea, ſi quis diſcindit ubera, & lac, quod in iis eſt, eluit, licet ea aſſare & comedere, & ſi diſſecat ea in formam crucis, alliditque parieti, donec non remaneant ullæ nitentes lactis guttulæ, licet illa etiam coquere cum carne. Ubera autem, quæ diſſecta non ſunt, ſive ea ſint junioris pecudis, quæ nondum lactavit, ſive adultioris, coquere vetitum eſt; Si quis autem, neglecto hoc interdicto, coxit ubera ſola, iis tamen veſci licet; ſi cum alia carne coxit, adhibenda eſt menſura, qua cognoſcatur, an ubera hæc conſtituant ſexageſimam partem ejus ferculi, quod fuit in olla, intra quam menſuram etiam ſunt ubera.

XIII. Tali ratione, ut ſi reliqua pars ſimul cum uberibus ſexagies æquet ubera ipſa, vetita ſunt ubera, reliquum autem lici-

licitum; ſi vero minus adeſt quam ſexaginta partes uberibus pares, totum vetitum ſit, & utcunque res habeat, ſi incidunt in aliam ollam, vetita etiam ea reddunt, quæ in ea ſunt, & menſura illa ſecundum partes ſexageſimas adhibenda eſt, velut ab initio. Ipſa autem illa ubera cocta facta ſunt velut ſegmentum quoddam vetitum, nec dimenſio eorum proportione æſtimanda eſt, niſi ſecundum eam rationem, quam habent, cum cocta ſunt, non autem eam, quam habuerunt, cum inciderent.

XIV. Ubera legitime diſſecta non aſſant ſimul cum carne in eodem veru: ſi quis autem aſſavit totum licitum eſt.

XV. Si quis coquit pellem coaguli (*ventriculum*) cum lacte, quod in ea eſt, licitum eſt utrumque. Hoc enim non amplius lac eſt, ſed eſt inſtar fimi, quia ecce formam mutavit in viſceribus.

XVI. Vetitum eſt coagulare caſeum pelle coaguli mactatæ pecudis, ſi quis autem coagulavit, guſtandus eſt caſeus, ſi is reſipit carnem, vetitus eſt, ſi non reſipit, licitus, quia id quod coagulavit, lac eſt licitum. Id enim erat pellis coaguli pecudis

legitime mactatæ, nec hic aliud interdictum læditur, quam illud de carne in lacte, quæ num vetitum reddiderit caſeum, guſtu dignoſcitur. Si quis autem coagulavit pelle coaguli cadaveris, aut beſtiæ diſcerptæ, aut beſtiæ immundæ, tunc quia id, quo coagulatum eſt lac, res eſt per ſe vetita, vetitus etiam eſt caſeus nomine cadaveris &c. non autem nomine carnis in lacte. Et hujus rei ergo interdixerunt * caſeo gentilium, quemadmodum ſupra expoſuimus.

XVII. Caro per ſe licita eſt, & lac per ſe licitum eſt, fiunt autem ambo illicita, cum per cocturam conjunguntur. Hæc dicta ſunt de eo caſu, ſi ambo ſimul cocta ſunt, aut calidum alterutrum incidit in alterum calidum, vel alterutrum frigidum incidit in alterum calidum. Si vero alterutrum calidum incidit in alterum frigidum, abſcindenda eſt exterior illa ſuperficies carnis, quæ lacte contacta eſt, & reliquo veſci licet. Si vero frigidum cecidit in frigidum, abluendum eſt ſegmentum illud carnis, & ſic eo veſci licet. Propterea etiam licet colligare carnem & caſeum uno linteolo, ita

* *Caſeo gentilium.* Vide ſupra Cap. III. h. 13.

ita tamen, ut ſe invicem non contingant, quod ſi ſe contigerint mutuo, abluenda eſt caro & abluendus eſt caſeus, & ſic utroque veſci licet.

XIIX. Si quid ita ſale conſperſum eſt, ut propter ſalſedinem comedi nequeat, ejus eadem eſt ratio, ac ſi ferveret. Si vero comedi ſolet velut eſt, ſicut v. g. *embamma, quod vocatur Cutach, non eſt inſtar ferventis.

XIX. Si qua avis legitime mactata incidit in lac aut Cutach, in quo eſt lac, cruda, abluenda eſt, & tum eam coquere eaque veſci licet: ſi aſſa fuit, detrahenda eſt ei pellis: Si in ſegmenta diſſecta fuit, aut aroma-

* *Embamma, quod vocatur Cutach.* Hoc genus embammatis, quod vocatur כותח vel כותא, formatur ex מלח חלב וכיוצא, *ſale, lacte, ſimilibusque rebus;* adeoque, cum lac in hac compoſitione maximam partem conſtituat, eodem modo illud cum carne comedere vetitum eſt, ac ipſum lac. *v. Philipp. Aquin. Dictionar.* Imprimis memoratur Cutach Babylonium, quod confici ſolebat e lacte, ſale Sodomitico & pane mucido, cujus uſus, ut ſanitati ſummopere noxius, reprehenditur in *Peſachim fol.* 42. *col.* I. conf. *Buxtorf. Lex. Talm. ad h. v.* Vocatur etiam כמך. ut obſervat *Philipp. Aquin. ad h. v.* כמך מין מאכל הוא ונקרא כותח במשנה *Camach eſt genus cibi, quod in Miſchna vocatur Cutach.*

aromatibus condita, & incidit in lac aut Cutach, vetita eſt.

XX. Vetitum eſt eadem vice inferre avem & caſeum menſæ, ad quam quis cibum capit, ne quis hoc modo occaſionem habeat peccandi, avem cum caſeo comedendo, quamvis avis in lacte tantum verbis ſcribarum vetita ſit.

XXI. Duo hoſpites, qui ſe invicem non norunt, poſſunt ſimul ad eandem menſam comedere, alter carnem pecudis, & alter caſeum, quia neuter in animo habet comedere cum altero.

XXII. In lacte non depſitur maſſa farinacea, & ſi depſta eſt, omnis panis ex ea piſtus eſt vetitus, propter occaſionem peccandi, ne quis forte ejusmodi panem cum carne comedat. Non licet tectorio incruſtare furnum, adhibita loco peniculi animalis cauda, & ſi quis hoc modo incruſtavit, omnis panis, qui in eo furno coquitur, vetitus eſt, donec igne ſuccenſo exuratur totus furnus, ut candeſcat. Verendum enim eſt, ne quis ejusmodi panem adhibeat lacti comedendo. Si quis autem figuram panis immutavit, ut agnoſci

queat,

queat, ne comedat cum eo carnem, vel cum hoc lac, utroque veſci licet.

XXIII. Si quis, dum carnem aſſaret, ſimul panem coxit aut piſces aſſavit, iis cum lacte veſci non licet; Si quis e ſcutella quadam carnem comedit, & poſtea in eadem coxit piſces, hos piſces cum Cutach comedere licet.

XXIV. Si quis carnem aſſam cultro quodam ſecuit, & poſtea raphanum vel aliam ejusmodi rem acrem eodem diſcidit, non licet rem ita diſſectam comedere cum Cutach. Si vero cultro ſcidit carnem, eodemque poſtea cucumeres aut melopepones, tum tantum abradendus eſt locus, quo facta fuit ſectio, & reliquum poſtea vel cum lacte comedere licet.

XXV. Non licet collocare ſalinum ad latus acetabuli, in quo eſt embamma lacteum, ne forte quid inde ſale inſperſum ab eo combibatur, & quis poſtea conſpergat carnem ſale, in quo eſt ſapor lactis. Acetum autem ad latus ejusmodi embammatis collocare licet, quia acetum ex eo nihil combibit.

XXVI. Si quis initio prandii vel cœnæ lac aut caſeum comedit, ei licet confeſtim

comedere carnem; oportet tamen ante abluere manus & detergere os, antequam quis poſt caſeum carnem comedat. Qua autem re detergendum eſt os? Manducando & deglutiendo, vel etiam exſpuendo bolum panis aut fructus arborum: imo quidlibet ad os detergendum eſt idoneum, præter palmulas, farinam & olera. Hæc enim non ſatis accurate os detergent.

XXVII. Hæc dicta ſunt de carne pecudis aut feræ, ſi quis vero poſt caſeum aut lac comedere vult carnem avium, tum non opus eſt detergere os vel lavare manus.

XXIIX. Si quis primo comedit carnem, ſive ea ſit quadrupedis, ſive avis, ei non licet comedere poſtea lac, niſi intercedat tantum temporis ſpatium, quantum fluere ſolet a prandio ad cœnam, id eſt circiter intervallum ſex horarum, idque propter carnem inter dentes adhæreſcentem, quæ eo modo, quo ſupra monſtratum eſt, detergeri nequit.

CAP. X.

CAPUT X.

De fructibus vetitis.

OMnia interdicta, quæ hactenus recenſuimus, ſpectarunt diverſas ſpecies animalium. Sunt autem in Lege alia quædam interdicta, quæ ſpectant ſemina terræ, nimirum proventum novum, heterogenea vineæ, fructus, de quibus nondum ſeparata eſt Teruma, & præputium arborum.

II. Quid tenendum eſt de proventu novo? Proventum novum cujusque de * quinque frumenti ſpeciebus, earumque ſolarum, vetitum eſt comedere, antequam offeratur manipulus die decimo-ſexto Niſan, quia dicitur: (*Lev.* XXIII, 14.) *Et*

* *Quinque frumenti ſpeciebus.* Hoc interdicto continentur quinque frumenti ſpecies, videlicet: החיטים והשעורים וכוסמים ושבולת השועל והשיפון *triticum, hordeum, ſpelta, avena & ſecale,* ut patet ex *Menachoth c.* 10. Has ſpecies duabus ſuperioribus comprehendunt, videlicet tritici & hordei nomine, ita ut ad hordeum referant etiam avenam & ſecale, ſpeltam vero, quam etiam *Majmonides in Comm. miſchn. ad h. l.* triticum ſylveſtre vocat, aliquid inter utramque ſpeciem medium eſſe ſtatuant.

*Et panem, & *ſpicam toſtam, & recentem NE comedatis.* Si quis vero ante oblationem

---

**Spicam toſtam & recentem.* Quod vox קלי ſpicam toſtam ſignificet, ſciri poteſt ex ipſius Spiritus S. expoſitione, qui ejusmodi ſpicam vocat קלוי באש *igne toſtam,* Lev. II, 14. hinc etiam farinam ex ſpicis toſtis molitam ſignificat. Quid vero ſit כרמל exponit *Raſchi ad l. c.* כרמל בעוד הכר מלא שהתבואה לחה ומלאה בקשין שלה *Carmel dicitur ſpica cujusmodi eſt dum* הכר i. e. arvum *adhuc eſt* מלא i. e. plenum, *nempe tum frumentum virens ſive recens ac humidum eſt plenumque in culmis ſuis, ac propterea ſpicæ dicuntur Carmel:* probationis loco adducit locum 2. *Reg. IV,* 42. כרמל בצקלונו *ſpicas recentes cum glumis ſuis:* unde patet, Carmel eſſe ſpicas, e quarum glumis nondum excuſſum eſt frumentum; Sed forte commodius quam ex מלא poſterior pars hujus vocis deduci poſſet ex מלל quod ſignificationem habet *fricandi,* cum ex ſpicis maturis fricando grana exprimantur, ut ſic vocis כרמל ſignificationem nobis oſtendat vox מלילות *Deut. XXIII,* 26. *Si ingreſſus fueris ſegetem proximi tui, potes decerpere* מלילות i. e. *ſpicas friabiles, manu tua.* Hujusmodi ſpicæ ſunt, de quibus ſermo eſt Luc. VI, 1. καὶ ἔτιλλον οἱ μαθηταὶ ἀυτȣ̃ τὰς ςάχυας, καὶ ἤσθιον ψώχοντες ταῖς χερσί. *Paulus Fagius* ad *Lev. XXIII,* 14. bene exponit hoc interdictum: *Ergo,* inquit, *eſt ſenſus, quod nec panem, nec torrefactas ſpicas, nec adhuc virentes, hoc eſt, nihil omnino de primis fructibus comedere deberent, donec primitiæ Deo offerrentur ex illis.*

nem manipuli de proventu novo comedit, is vapulat ex Lege, idque omni loco & tempore, ſive in terra Iſraëlitica, ſive extra illam, ſive ſtante templo, ſive non ſtante. Attamen durante ſanctuario * confeſtim, ex quo manipulus eſt oblatus, proventu novo veſci licet. In locis vero remotioribus, licet eo veſci poſt meridiem, cum ſynedrium non differat oblationem manipuli

* *Confeſtim ex quo manipulus &c.* Hieroſolymis enim ſtatim ſciri poterat, num manipulus jam eſſet oblatus, nec ne, unde narratur *Menachoth c.* 10. *m.* 5. משקרב העומר היו יוצאין ומוצאין שוק ירושלים שהיא מלא קמח וקלי שלא כרצון חכמים דברי ר׳ מאיר ר׳ יהודה היה אומר ברצון חכמים היו עושים *Si quis, poſtquam oblatus erat manipulus, egrederetur* (e templo in urbem, ſtatim) *inveniebat plateas Hieroſolymitanas plenas* (venali) *farina ſpicisque toſtis,* (de proventu novo) *quod quidem R Meir invitis ſapientibus factitatum putat, ſed R. Jehuda cenſet, hoc cum conſenſu ſapientum eſſe factum.* R. Meiris ſententia nititur eo fundamento, quod neceſſe ſit, frumentum, ex quo facta eſt hæc farina, quæ in plateis venum exponitur, ante manipulum eſſe meſſum. Sed contraria ſententia huic præfertur, utpote hypotheſi ſui autoris tantum ſervienti. Cætera, quæ de hoc hordei manipulo dici poterant, afferre ſuperſedeo, cum a multis viris doctis ad pulviſculum usque ventilata ſint. Conferri tamen poteſt ex Hebræis Menachoth l. c. & noſtri auctoris de ſacrif. jugibus cap. 7.

puli in tempus pomeridianum. Tempore autem eo, quo nullum exiſtit templum, toto die vetitus eſt ex Lege. Et hoc tempore iis locis, quibus feſta * biduo celebrari

* *Biduo celebrari ſolent.* Cum e phaſi lunæ indicanda olim penderent neomeniæ, & ex his feſta Judæorum, ſolebant ii, qui ab Hieroſolymis paulo longius diſtabant, de celebranda neomenia admoneri ſigno e cacuminibus montium flamma dato; Sed hoc cognito Samaritæ vel Ethnici, ut Judæis ægre facerent, ſæpius eis hoc ſignum imitati fruſtrabantur, etiam cum non erat celebrandum novilunium ignem accendentes. Itaque poſtmodum abrogata horum ignium conſuetudine, curſores ab Aſſeſſoribus Synedrii magni in provincias vicinas miſſi, neomenias illas ſex, (ſc. Niſan, Av, Elul, Tiſri, Cisleu, Adar, & durante templo etiam Ijar,) a quibus præcipua feſta pendebant, indicare conſueverunt; ab iis vero, quibus propter locorum diſtantiam feſta tempori indicare non poterant, biduo continuo feſta celebrabantur, ne forte verus dies feſto asſignatus ſine cultu divino transmitteretur. *vid. Majmon. Tract. Kidduſch Hachodeſch c. III. h.* 9. *ſqq.* Quamvis autem hoc ævo Judæi cyclo decemnovennali ab Hillele Principe R. Jehudæ Principis filio, ſub ultimam ætatem Gemaricorum inſtituto utentes, ubique non phaſin, ſed computum ſequantur, & ſic facile in omnibus regionibus uno eodemque die feſta celebrare poſſent, תקנת חכמים הוא שיזהרו במנהג אבותיהם שבידיהם *conſtitutio* tamen *ſapientum eſt, ut ſinguli accurate obſervent morem a majoribus ad ſe derivatum.* לפיכך כל מקום שלא היו שלוחי תשרי

brari ſolent etiam toto die decimoſeptimo Niſan vetitus eſt proventus novus usque ad veſperam, idque ex decreto ſcribarum.

III. Si quis comedit de pane, ſpica toſta, aut recente, quantum eſt oliva, propter ſingula adeoque ter vapulat, quia dictum eſt (l. c.) *Et panem & ſpicam toſtam & recentem NE comedatis*; Audiendo autem didicerunt (*Doctores Talmudici*) quod ſingula illa ſint interdicta a ſe invicem diſtincta.

IV. Ex quo oblattus eſt manipulus, eſui con-

תשרי מגיען אליו כשהיו השלוחין יוצאין יעשו שני ימין אפילו בזמן הזה כמי שהיו עושין בזמן שבני ארץ ישראל קובעין על הראיה ובני ארץ ישראל עושין יום אחד כמנהגן שמעולם לא עשו שני ימים *Propterea ad quemcunque locum non ſolebant nuncii Synedrii emiſſi initio menſis Tiſri*, (ante decimum ejus diem) *pervenire, eo tempore, quo adbuc ſolebant in provincias proficiſci ejusmodi nuncii, celebrari ſolent feſta biduo, etiam boc noſtro tempore, quemadmodum fieri ſolebat eo tempore, quo adbuc figebantur neomeniæ ab incolis terræ Iſraëliticæ ſecundum phaſin Lunæ; incolæ vero terræ Iſraëliticæ unicum tantum diem feſtum celebrant, ſecundum priſcum ſuum morem, utpote cum nunquam biduum celebraverint. Majmon. l. c. c. 5 h. 5. & 6. Seldenus de anno civili vet. Jud, c. 15. & 17.* Excipitur tamen feſtum novi anni, quod ubique locorum biduo celebratur.

conceſſus eſt omnis proventus, * qui radices egit ante ejus oblationem, quamvis demum poſt oblationem pervenerit ad ſuam perfectionem. Proventus autem, qui radices egit poſt oblationem manipuli, quamvis ante oblationem ſeminatus fuerit, vetitus eſt, donec ſequente anno offeratur manipulus. Idque obſervandum eſt omni tempore & omni loco ex Lege.

V. Si quis proventum, qui radices egit poſt (*oblationem*) manipuli, (*poſtea maturitatem aſſecutum*) meſſuit, deque tritico (*i. e. frumento excuſſo*) in fundo (*ſ. agro,*) ſementem fecit, & poſtea (*anni*) ſequentis manipulus oblatus eſt, ecce tum dubium eſt, num manipulus oblatus reddiderit illud frumentum licitum eodem modo ac (*licitum fuiſſet*) ſi jacuiſſet in acervo (*frumenti*

* *Qui radices egit.* Si vel frumentum ſeminatum foret, nec tamen adhuc radices egiſſet, vel tantulum e terra emineret, oblatione tamen manipuli non fieret licitum, כי איננו מתיר הוא כי אם הנקצרים והעומדים ליקצר שהחלו בצמיחה אעפי שלא נשלמה *nibil enim aliud licitum facit manipulus, niſi quod vel meſſum eſt, vel ita eminet e terra, ut aliquando meti poſſit, quodque germinare cœpit, licet germinationem nondum abſolverit,* ut loquitur *R. Levi ben Gerſom Comm. ad Lev.* 23. *f.* 168. *col.* 1.

menti in granario,) vel non reddiderit licitum, eo quod extra cenſum ſit, (*poſtquam*) terræ traditum eſt. Itaque ſi quis de hoc frumento collecta grana quædam comedit, non vapulat (*loro*;) afficitur tamen plagis (*fuſte*) ob rebellionem. Sic quoque, ſi quis ſpicam, * quæ tertiam partem ſuæ magnitudinis ante oblatum manipulum aſſecuta eſt, cum radice revulſam transplantat (*in alium locum*) poſt oblatum manipulum, eademque incrementa capit, ecce tum dubium eſt, num vetita ſit propter illud incrementum, donec manipulus ſequentis (*anni*) offeratur, aut non vetita ſit, quia ecce radices egerat ante oblatum manipulum hornum.

VI. Heterogenea vineæ quo pacto (*vetita ſunt?*) Si quis quamcunque de ** ſpeciebus

* *Quæ tertiam partem.* Notandus eſt hic uſus phraſeos שהביאה שליש qui in Lexicis deſideratur. Cæterum in *Ceſeph Miſchne ad h. l* & editionis Venetæ anni 334. & Amſtelodamenſis vitio typographorum ſcriptum eſt שלא הביאה שליש quod patet conferenti hunc locum cum Menachoth fol. 69. col. 2.

** *Speciebus frumentorum.* Arbores enim quaſcunque in vinea plantare & fructibus earum illic natis uti licet; ראוי שתדע שלא תכלל זאת האזהרה מזריעת

ciebus frumentorum, aut de ſpeciebus olerum, ſeminaverit cum vite, ſive ſementem fecerit Iſraëlita, ſive Cuthæus, ſive ſponte nata ſit, ſive quis etiam in medio olerum vitem plantaverit, utraque & eſui & uſui interdicta ſunt, quia dictum eſt: (*Deut. XXII, 9.*) *NE* * *ſeparandum reddas univer-*

מזריעת מיני אילנות בכרם וזה כי האילנות דרכם שינטעו ולא שיזרעו *oportet Te noſſe, quod hoc interdictum non comprehendat ſeminationem (nucleorum de diverſis ſpeciebus) arborum, in vinea, idque quia arbores non ſeminari, ſed plantari ſolent.* R. Levi ben Gerſom Comment ad Deut. 22.

* *Separandum.* Hanc enim ſignificationem h. l. habet vox תקדש ut notet, *ab omni humano uſu excludendum ſeu ſeparandum eſſe* ejusmodi proventum heterogeneum, ut recte monet *R. Levi ben Gerſom l. c.* אין הרצון באמרו פן תקדש שיהיה קדוש כי לא יהיו הדברים קדוש בכמו אלו הסבות ואולם הקדושה הזאת היא שתהיה נבדל מהנאתם i. e. *non eſt intentio Scriptoris S. dum utitur verbis* פן תקדש *quod fiat aliquid ſanctum, non enim fit quicquam ſanctum talibus de cauſis. Sed vox* קדש *hic tantum ſignificat, quod alienus remotusque eſſe debeat ab uſu illorum.* Probat hanc ſignificationem inde, quod etiam de pollutione vox קדש adhibeatur in loco Jeſ. LXV, 5. *Ne tangas me, ne* קדשתיך *polluam te:* eandem probationem affert *Raſchi* ad *h. l.* In paraphraſi Chaldæa eſt תסתאב *polluas:* Cæterum quomodo abſti-

univerſum id quod adeſt (in vinea, i. e. plenitudinem) nempe *tam ſemen*, *quod ſeminaveras*, *quam proventum vineæ*, quaſi diceret: ne vetitum & illicitum facias utrumque.

abſtinuerint Judæi ab uſu horum heterogeneorum, patet ex *Autoris noſtri Tractatu Chilaim* cap. V. hal. 7. הירק או התבואה או הגפנים שורפין את שהיזן ואפילו הקש של תבואה והעצים של גפנים האלו אסורים בהנאה ושורפין אותם ולא יסיק בהן תנור וכירים ולא יבשל בהם בעת שריפתן *ſive ſit olus, ſive frumentum, utrumque cum vite comburunt, imo & ſtipula proventus & ligna vitis uſui interdicta ſunt & comburenda, nec licet eorum flamma calefacere furnum aut ollas, aut quicquam eorum flamma coquere eo tempore, dum comburuntur.* Sic enim optime, dum in fumos & cineres abibant, uſus impediri poterat. Ibidem autor noſter cætera, quæ de heterogeneis tam agrorum quam vinearum & reliquis tenenda ſunt, accurate, pro more ſuo, expoſuit. Male igitur *Jo. Clericus* hic ſibi fingit *ſacrum aliquem fiſcum, cui addicatur, quicquid in agro aut vinea creverit, quodque hæc fuerit pœna præceptum hoc violantis. Comment. ad Deut XXII.* cum fiſcus ille veteribus omnino ſit incognitus, nec potuerit ullus ejus eſſe uſus, quia igne abſumebantur, quæ in eo aſſervari voluit *Clericus.* Male etiam *Jo. Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. l. 2. c.* 18. imputat *Judæis pleriſque omnibus, quod Legem hanc Deut. XXII, 9.* etiam *de diverſi generis ſeminibus* frumentorum *in agro non ſerendis intelligendum arbitrentur*, cum ne unicum quidem teſtem hujus interpretationis adducere

VII. Et quisquis, quantum eſt oliva, comedit de heterogeneis vineæ, vel de olere, vel de uvis, vapulat ex Lege, & utraque inter ſe conjunguntur, (*ut æquent olivam.*)

IIX.

---

ducere posſit, & contra magnam differentiam inter hanc Legem de *heterogeneis vineæ*, & eam, quæ *Lev. XIX*, 19. habetur, de *heterogeneis agrorum*, vel hinc agnoſcere poſſimus, quod heterogenea vineæ cibis vetitis accenſeant, ſed heterogeneis agrorum veſci liceat. Conf. præterea *Miſchnam Tr. Chilaim c. VIII. m.* 1. *Autoris noſtri Tr. Chilaim. Schylchan aruch tit. Chilce baccherem. R. Levi ben Gerſom ad Lev. XIX. & Deut. XXII.* Porro aliam ſententiam falſo Judæis imputat omnibus, ex male intellecta verſione unius loci *Majmon. More nevoch P. III. c.* 37. *Multi*, inquit, *vocabulum* תזריע *ſenſu laxo admodum ſumendum ſentiunt, ut non tantum ſerere, ſed & inſerere ſimul & plantare denotet. Atque hic ſenſus Synagogæ Doctoribus inter res judicatas ponitur. Nam illi junctis vocibus contendunt, varii generis vites ſimul plantare & ſurculum alterius generis arbori inſerere hac in Lege prohiberi.* Sed ſi vir bonus vel unicum quemque demum vel Legum interpretem vel commentatorem inſpexiſſet, illum minimum excepturus fuiſſet a generali ſuo præjudicio, quo omnes junctis vocibus id contendere aſſerit, quod ne unicus quidem affirmat. Contra

אינו לוקה משום זורע כלאי הכרם עד שיזרע בארץ ישראל חטה ושעורה וחרצן במפולת יד וכן אם חפה אותם בעפר לוקה

Nemo vapulat (loro, i. e. ex Lege,) *eo nomine, quod hetero-*

IIX. Hæc dicta ſunt de eo caſu, ſi ſeminata ſunt in terra Iſraëlis. Quod vero etiam extra terram obſervetur interdictum de heterogeneis, id tantum fit ex

 ver-

heterogenea vineæ ſeminaverit, niſi ſeminarit in terra Iſraëlis triticum, vel hordeum & nucleum acini, manu projiciens, ſic & vapulat, qui hæc conjuncta pulvere obruit. Majmon. Chilaim c. V. Imo vel ſexcenties repetitur illud, quod ejusmodi ſementis projectio intelligenda ſit, quæ fit בכפיל תיד *manu jaciendo.* apud *eundem l. c. Talmudicos l. c. Joſ. Karo in Schylchan Aruch Jore Dea n.* 296. *ſq. Raſchi ſæpius, conf. ejusd. Comm. ad Deut. XXII.* Quod non contendant vetitum eſſe diverſorum generum arbores ſimul plantare, jam ante demonſtravi *ad hal. VI.* * & facile eſſet pluribus probare. Quod non contendant hac Lege prohiberi, ſurculum alterius generis arbori inſerere, ſed Lege lata *Lev. XIX,* 19. diſertis verbis dicit *Majmon. Chilaim cap. I. hal.* Eundem locum eodem ſenſu allegat *Joſeph Karo bilcoth Chilee Ilan n.* 1. nec ab iis abit cæterorum Doctorum ſententia. Quam ruinoſo autem fundamento (ſc. ſphalmate *LXX. Interpretum* vocem שדה *Lev XIX.* vertentium ἀμπελῶνα) innitatur ipſius *Spenceri* ſententia, dum *Lev. XIX.* eandem Legem tradi exiſtimat, quam hic ex *Deut. XXII.* ſpectamus, non eſt hujus loci demonſtrare. Contrarium tamen ex iis, quæ adducta ſunt, facile patet. Nec ſufficienter ſenſum mandati divini exprimit *Joſephus Antiquit. l. IV. c. IIX.* ſcribens: τὴν ἀμπέλοις καταφυτον γῆν μὴ σπάρειν. *Agrum vitibus conſitum ne ſemines.* Non enim ea modo vinea intelligitur, in qua jam ante enatæ ſunt vites, ſed & quæ conſtat vitibus, ex acinis in humum cum frumento jactis, creſcentibus.

verbis ſapientum. In *tractatu Chilaim* autem exponetur, quænam ſpecies nomine heterogeneorum vineæ vetita, & quæ non vetita ſit, & quomodo & quando vetita fiat, quidque ab uſu eam eximat, quid non eximat.

IX. Quomodo vetitum eſt præputium arborum? Si quis plantat arborem fructiferam, tum fructus, quos ea arbor edit, *primo triennio, ex quo plantata eſt, ecce vetiti ſunt & eſui & uſui, quia dicitur: (*Lev. XIX*, 23.) *Triennio erunt vobis ** præputiata*,

**Primo triennio.* Quamvis Autor noſter in tractatu *Maaſer ſcheni c.* 9. rationem hoc triennium numerandi prolixe exponat; non tamen abs re erit, etiam hic monere, quod ג'שנים הללו אינם נמנים מיום ליום אלא הולכים בהם אחר שנות העולם שהוא מתחיל מתשרי *hi tres anni non ſint numerandi a die ad diem*, (ſ. a die plantationis, donec idem dies ter recurrat,) *ſed in iis procedatur ſecundum annos mundi, quorum computus incipit a Tisri;* ita ut ſi arbor plantata eſt quadraginta quatuor minimum diebus ante feſtum novi anni, quod eſt in Tisri, ſeu ante decimum quintum diem menſis Av, cenſeatur jam tum effluxiſſe integer annus, cum pervenitur ad primum diem menſis Tisri; Si vero poſt decimumquintum menſis Av plantata eſt, ea pars anni ne quidem in cenſum veniat. *v. Schylchan Aruch Jore Dea c.* 204.

** *Præputiatæ.* Vocem præputii ipſe Spiritus S. exponit

putiatæ, (& fructus earum) *NON comedentur.* Quiſquis autem de iis tantum comedit, quantum eſt oliva, is vapulat ex Lege.

X. Hæc dicta ſunt de eo caſu, cum quis plantavit arborem in terra Iſraëlis, quia dicitur *l. c. Cum veneritis in terram &c.* quod autem arborum præputium etiam extra terram Iſraëliticam vetitum ſit, illud eſt

 conſti-

nit *Lev. XIX*, 23. ערלתו את פריו *præputium ejus, quod eſt fructus ejus.* Quæ autem ſit hujus metaphoræ ratio, *R. Levi ben Gerſom* docet, הנה קראו ערלה להורות שהוא מותר אין בו תועלת כמו הענין בערלת הבשר *Vocat illud præputium, ut doceat, quod illud ſit aliquid ſuperfluum & uſu carens, quemadmodum res habet circa præputium carnis.* Comment. ad h. l. Cum enim arborum primitivi fructus, ut reliquarum etiam rerum, gratum animum demonſtrandi ergo Deo conſecrandi eſſent, fructus arboris adultioris, qui & plures & meliores quarto anno, quam prioribus, naſci videntur, ne quid Deo offerretur, quod foret vel minus vel deterius, quam deceret, munus eſſe, ipſi eligere placuit. Hi cum eſſent primitivorum ſpecies, nefas erat, hominem, antequam partem Deo debitam ſolviſſet, præcipere fructuum uſum. *vid. id. ibid. Joſephus*: Γῆν ὁ φυτεύσας πρὸ ἐτῶν τεσσάρων ἂν καρπὸν βάλῃ τὰ φυτά, μήτε τῷ Θεῷ ἀπαρχὰς ἐντεῦθεν ἀποφερέτω μήτ᾽ αὐτὸς χρήσθω. *Qui terram plantis conſeverit, eum, ſi plantæ ante quartum annum fructum protulerint, nec Deo primitias* inde

conſtitutio Moſis e monte Sinai (*ad nos perpetua traditionis ſucceſſione derivata,*) qua fructus, quos certum eſt eſſe arborum præputiatarum, vetiti ſunt, de quibus autem dubitatur, liciti. Sed in *tractatu Maaſer ſcheni*, quid nomine hujus præputii vetitum ſit, exponetur.

XI. Quod dubium eſt, num ſit fructus arboris præputiatæ, vel vineæ heterogeneis conſitæ, id in terra Iſraëlitica vetitum eſt; Sed in * Syria (quo nomine comprehendun-

inde offerre oportet, nec in proprium uſum convertere. Antiqv. l. 4. *c.* 8. Quod vero interdictum divinum de eſu tantum agens, ad uſum quoque extendit, id facit conſentiente *noſtro Autore* cæteriſque Judæis. *R. Levi ben Gerſom* hanc cauſam affert *l. c.* האכילה היא אחת ממיני ההנאה ולזה נלמד ממנו שפרי זאת הנטיעה אסור בהנאה שלוש שנים *comeſtio eſt una de ſpeciebus uſus, adeoque hinc diſcimus* (id, quod de ſpecie dictum eſt, etiam ad genus referendo,) *quod fructus hujus arboris plantatæ per integrum triennium uſui interdictus ſit.* conf *Hottinger. Jur. Hebr. leg.* 220. *Majm. More Nevoch. P. III. c.* 37.

* *Syria.* Diviſionem mundi, quam reſpectu ſanctitatis regionum inſtituunt Judæi hoc loco, obſervare oportet: Videlicet נמצא כל העולם לענין מצות התלוות בארץ נחלקת לג׳ מחלוקות ארץ ישראל וסוריא וחוצה לארץ i.e. *Ratione præceptorum, quæ adſtricta ſunt ad terram Iſraeliticam, totus mundus dividitur in tres partes, terram*

henduntur omnes provinciæ a Davide occupatæ) licitum eſt, v. g. Si qua vinea eſt vitibus præputiatis conſita, & uvæ extra eam venditæ ſunt, vel ſi olera vendita

L 5 ſunt

---

ram ſcilicet Iſraëlis, Syriam & regionem, quæ eſt extra terram Iſraëlis. Sanctior enim eſt terra Iſraëlis, quam Syria, & hæc quam regiones extra eam ſitæ; cum illa Lege divina, hæc ſcribarum inſtituto teneatur decimas & ablationes ſolvere. Differunt autem etiam ſanctitate partes illæ terræ Iſraëliticæ, quas ex Ægypto venientes olim Iſraëlitæ occuparant, neglectas ab iis, qui Babylone reduces facti ſunt, ab iis, quas utrique obtinuerunt. Syria vero continet הארצות שכבש דוד חוץ לארץ כנען כגון ארם נהרים וארם צובה ואחלב וכיוצא בהן *terras, quas David occupavit extra terram Chanaanis, ſcilicet Meſopetamiam, Syriam, Zobam, Achlabh, cæterasque* provincias, quæ eodem jure tenerentur, quo terra Iſraëlitica, ſi, antequam David eas occupabat, omnes reliquias ſeptem populorum ex Canaanitica terra ejiciendorum expuliſſet. Reliquæ omnes regiones vocantur *extra terram* ſitæ, licet earum quasdam etiam David tenuerit. Cæterum חוצה לארץ נחלקה לשנים ארץ מצרים ושנער ועמון ומואב המצות נוהגית בהן מדברי סופרים ונביאים ושאר וארצות אין תרוומת ומעשרות נוהגות בהן *Regio extra terram ſita dividitur in duas partes, nimirum in Ægypto, Sinhare, Ammonitide & Moabitide præcepta illa obſervari ſolent ex inſtituto ſcribarum & Prophetarum; In reliquis vero terris non ſolent ſolvi ablationes & decimæ. Majmon. hilcoth Therumoth. c. 1.*

ſunt extra vineam, in qua ſeminatum eſt olus. Forte enim creverunt in eadem vinea, forte alibi. Imo etiam extra terram (*Iſraëliticam*,) ſi quis vidit uvas efferri e vinea præputiata, aut olus efferri ex vinea (*iisque veſcitur*,) vapulat, idque ſi vel non viderit quemquam carpentem uvas manu ſua, aut manu ſua legentem olera.

XII. Fructus vineæ, de qua dubium eſt, num ſit præputiata vel heterogeneis conſita, in terra Iſraëlitica vetitus, in Syria licitus eſt; & vel me tacente patet, extra terram (*Iſraëliticam*) eum eſſe licitum.

XIII. Dolium vini (*ab ignoto abditum, & poſtea ab alio quocunque*) repertum intra hortum, in quo ſunt vites præputiatæ, potui interdictum, ſed uſui conceſſum eſt. Fur enim non facile rem furtivam eo loco abdit, unde eam furto abſtulit; Uvæ autem ſi quæ abditæ in ejusmodi loco reperiuntur, vetitæ ſunt, quia forte inde collectæ fuerunt, quique eas collegit, ibidem repoſuit.

XIV. Si Cuthæus & Iſraëlita ſocias operas junxerunt in plantanda vinea, & a principio ſocietatis hujusmodi pactum inierunt, ut Cuthæus fruatur fructibus per trien-

triennium præputii, & reſpectu horum trium annorum præputii Iſraëlita iis fruatur per tres annos ſequentes, quibus licet (*veſci uvis hujus vineæ,*) ecce ejusmodi * ſocietas licita eſt: Si vero non latæ ſunt hæ conditiones ab initio ſocietatis, in eas poſtea deſcendere vetitum eſt, & præterea, ne unquam ejusmodi fructus in cenſum veniant, v. g. ſi quis computare vellet, quot fructus Cuthæus perceperit durantibus annis præputii, ut totidem iis æquipollentes fructus, ſequentibus annis accipiat Iſraëlita; ſi quis, inquam, hoc modo pepigiſſet

* *Societas licita eſt.* Docet hoc R. Geviha ex Be Chethil fuiſſe reſponſum Rabæ, cum conſuleretur de ſocia opera Ethnici & Judæi, quamvis alii ad quæſtionem de ſabbatho referant. הנהי שתילי דערלה הוה גוי אכיל שני דערלה וישראל שני דהיתירא אתו לקמיה דרבא שרא להו dicit ſcilicet, *quæſtionem fuiſſe de plantis præputii, & gentilem quidem comediſſe fructus trium annorum præputii, Iſraëlitam autem annorum trium ſequentium a Lege conceſſos, veniſſeque utrumque ad Rabam eumque hoc factum approbaſſe. Avoda Sara c.* 1. *f.*22. *col.* 1. Si enim ita ab initio convenit inter Iſraëlitam & gentilem, Ethnicus ſolus primo triennio hortum vel vineam excolit & reſpectu ſui laboris accipit fructum, non vero reſpectu fructuum, quos ſequente triennio accipiet Judæus, dum hic quoque per illud triennium ſolus hortum vel vineam excolit.

giſſet, pactum illud illicitum foret. Ecce enim eodem modo ſe habet ejusmodi contractus, ac ſi fructus præputii permutaret (*aliis licitis, adeoque iis mercaturam exerceret.*)

XV. Mihi videtur, non opus eſſe, ut obſervetur præceptum de fructibus quarto a plantata arbore anno natis datum, extra terram Iſraëliticam; ſed quod liceat veſci fructibus anni quarti ſine ulla redemtione, quia Sapientes tantum de præputio arborum (*etiam extra terram Iſraëliticam non in uſum convertendo*) mentionem fecerunt. Argumentari hic licet a minori ad majus. Cum enim Syria, quæ tenetur decimas ſolvere, legesque de ſeptimi anni fructibus obſervare, e decreto ſapientum non obſtricta ſit ad (*redemtionem vel conſecrationem fructuum*) quarti a plantatione arboris anni, quemadmodum demonſtrabitur in *tractatu Maaſer ſcheni*; quanto magis liberam oportet eſſe regionem quamcunque extra ditionem Iſraëliticam ab obſervatione præcepti de redimendis fructibus anni quarti; in terra autem Iſraëlis illud obſervandum eſt non modo durante templo, ſed & deſtructo. Sunt tamen nonnulli e Docto-

e Doctorum illuſtrium numero, qui cenſent, ſolius vineæ fructum anno quarto etiam extra terram Iſraëliticam eſſe redimendum. Sed hæc aſſertio fundamento caret.

XVI. Totius anni quarti fructus eſui interdicti ſunt in terra Iſraëlitica, donec redimantur; Cæterum in *tractatu Maaſer ſcheni* exponentur ritus redemtionis eorum, & quando iis veſci liceat, nec non a quo tempore ſupputandi ſint anni præputii & annus quartus.

XVII. Quomodo redimi ſolent fructus anni quarti hoc tempore? Poſtquam poſſeſſor eos collegit, hanc formulam pronunciat: *Benedictus es tu Jehova Deus noſter, Rex mundi, qui nos ſanctificaſti præceptis tuis, legemque nobis tuliſti de redimendis fructibus anni quarti.* Et poſtea redimit omnes vel unicæ * Frutæ pretio, dicens: *Ecce illi redemti ſunt hac Pruta;* eamque Prutam in mare ſalſum projicit. Aut profanos eos reddit ** redimendo fructi-

* *Prutæ pretio.* Pruta, Græcis λεπτὸν, dimidia pars quadrantis, exiguum olim inter Judæos erat numiſma, de quo *vide Lightfoot hor. Hebr. ad Matth. V*, 26.

** *Redimendo.* מחללין i. e. facit, ut fiant profani, & com-

fructibus aliis, qui pretio Prutæ æſtimari queant, & hæc concepta verba pronunciat: *Ecce omnes iſti fructus profani redditi ſunt hoc tritico* vel *hoc hordeo*, aut alio fructu quocunque, eosque fructus comburit, ne forte alii cuiquam offendiculum præbeant. Hoc facto omnibus fructibus veſci licet.

XIIX. Pars * illuſtrium Doctorum docuit, quod, quamvis quis vel nummo vel fructibus redemerit fructus anni quarti, veſci tamen iis non liceat ante initium anni quinti; Hæc autem aſſertio fundamento caret, mihique videtur hæc eſſe falſa collectio orta ex male intellecto verſu (25. *Cap. XIX. Lev.*) ubi ſcriptum eſt: *Anno autem quinto comedetis fructum ejus.* Nihil enim aliud indicat Scriptura his verbis, quam quod anno quinto comedere liceat fructus ejus ſine redemtione, velut quoscunque alios communes cibos, qui ſunt in mundo. Et de hac ſignificatione ne dubitandi quidem locus relinquitur.

XIX.

communi uſui liciti, ut vocem hanc exponit *Phil. Aquin. in Dictionar.*

* *Illuſtrium Doctorum.* Hæc quorundam eruditorum ſententia etiam recenſetur & confutatur a *Rabbenu Aſcher ad Tract. Orla ſub fin.*

XIX. Quomodo vetitus eſt fructus, de quo nondum perſoluta ſunt ea, quæ ſolvi oportet? Omnis cibus, de quo adhuc oportet ſeparari Terumam & decimas, is, antequam hæc ſeparatio fiat, vocatur טבל *Tevel*,* eoque veſci

* *Tevel.* Hebræam vocem retinui, cum addita ſit in textu explicatio, nec commode una Latina voce efferri queat proventus, de quo nondum perſoluta eſt ablatio magna, quam Terumam appellant, & decimæ, vel de quo perſoluta eſt ablatio magna, non autem decimæ. Exiſtimo hanc ſignificationem deducendam ex notatione *immergendi*, quam habet verbum טבל, cum in ejusmodi fructibus pars ſacra profanæ quaſi immerſa ſit, donec ab ea ſecernatur. Sibilum potius quam plauſum meretur derivatio, quam e Latina voce affert *Phil. Aquinas:* שהות דומה לטבלא של עץ שאין אדם יכל לאכל ממנו כי הטבל עון· מיתה *Vo- ejusmodi fructus Tevel, quia ſimilis eſt tabulæ ligneæ, utpote de qua nemo quicquam comedere poteſt. Ita enim, qui de Tevel quicquam comedit, eſt reus mortis. in dictionar. ad h. v.* Cæterum paucis hic notanda eſt ratio harum rerum ſacrarum. De frugibus, quæ primitiarum Lege tenebantur, primo ſolvendæ erant primitiæ; deinde de iis, (de cæteris vero fructibus antequam quicquam aliud tolleretur,) ſolvenda erat *Ablatio magna*, תרומה גדולה, quæ ſic dicitur, ut diſtinguatur a תרומת מעשר *ablatione decimarum.* Hæc autem ablatio magna erat minimum ſexageſima pars proventuum, quod colligunt Judæi ex *Ezech. XLV,* 13. 14. *Teruma, quam*

veſci vetitum eſt, quia dictum (*Lev. XXII,*

---

quam offeretis, erit ſexta pars Eſæ de Chomer. &c. Nam menſura Chomer habebat decem Ephas. Quia tamen nonnulli coloni magis liberales, ſolvebant quinquageſimam vel quadrageſimam partem proventus, vocare ſolebant ſexageſimam תרומת עין רעה *ablationem* hominis ſordide tenacis, ſeu *oculi mali*, quinquageſimam תרומה בינונית *ablationem mediocrem*, quadrageſimam תרומת עין יפה *ablationem oculi pulcri*, i. e. hominis liberalis. Hæc Teruma magna ſolvenda erat Sacerdoti, qui olim ea veſcebatur, ſed hodie eam comburit. Hac perſoluta אחר כך מפריש מן השאר אחד מעשרה והוא נקרא מעשר ראשון ונותנו ללוי *poſtea ſeparat de eo, quod reliquum eſt, unam partem de decem, quæ vocatur decima prima, eamque dat Levitæ. Joſeph Karo Schylchan Aruch Hilcoth Theruma n.* 19. Levita porro de ea parte, quam ipſe acceperat, decimam ſolvebat ſacerdoti, quæ decima pars vocabatur תרומת מעשר *ablatio decimarum.* Colonus autem אחר כך מפריש מהשאר אחד מעשרה והוא נקרא מעשר שני והוא לבעליו *poſt* quam decimam primam ſolvit, iterum *ſeparat de eo, quod reliquum eſt, decimam partem, quæ vocatur decima ſecunda, pertinetque ad ipſum colonum abſumenda Hieroſolymis.* Hoc modo מפרישין בשנה ראשונה מהשבוע ובשנייה וברביעית ובחמישית אבל בשלישית ובששית מהשבוע אחר שמפרישין מעשר ראשון מפרישין מהשאר מעשר אחד ונותנו לעניים והוא נקרא מעשר עני ואין בשתי שנים אלו מעשר שני אלא מעשר עני

ſeparant

*XXII, 15.) Et * NON profanabunt ſancta filiorum Iſraelis, elevanda Jebovæ*, quaſi diceret;

ſeparant coloni anno ſeptimanæ primo, ſecundo, quarto & quinto; anno autem tertio & ſexto ſeptimanæ, poſtquam ſeparata eſt decima prima, de eo, quod reliquum eſt, unam decimam partem ſeparant, eamque dant pauperibus: hæc vocatur decima pauperum, adeoque his duobus annis nullæ ſunt decimæ ſecundæ, ſed earum loco decimæ pauperum. Idem ibid. Eadem fuſe pertractat *Autor noſter loc. cit.* Mihi hoc loco ſufficit monuiſſe, quod fruges colonorum, de quibus nondum ſeparata erat ablatio magna, vel Levitarum fruges, de quibus ablatio decimarum nondum erat ſeparata, vocatæ fuerint טבל *Tevel*, iisque veſci vetitum fuerit.

* *Non profanabunt. R. Salomo* de Sacerdotibus hoc activum exponens, ait, res haſce ſacras profanari להאכילם לזרים *ſi comedendæ apponuntur iis, qui non ſunt de genere Sacerdotum.* Sed non minus commoda eſt *Autoris noſtri* expoſitio, qui de quocunque comedente intelligit, ut ſenſus ſit: *non profanabunt*, i.e. ne quisquam profanet, vel more cibi profani ſeu vulgaris uſurpet: cujusmodi conſtruendi ratio in S. Scriptura frequens eſt. *Onkelos in ſua paraphraſi* addit in verſu ſequente hanc reatus cauſam: במיכלהון בסואבה ית קודשיהון *dum illi comedunt in immunditie ſancta ſua:* ſed hac explicatione opus non eſt, cum ſi vel mundi comedant, qui de ſacerdotali genere non ſunt, rei fiant mortis, unde hanc additionem merito caſtigat *Raſchi ad h. l.* Utramque ſententiam conjungit *Abarbanel*, præceptum eſſe dicens Sacerdotibus שלא יזלזלו בקדשים לתתם לאכול למי שאינו

ceret: non utentur iis inſtar (*ciborum*) profanorum ſeu vulgarium, quamvis etiam ejuſmodi tantum ſacra ſint, quæ in poſterum conſecrari debent, ſed nondum ſunt conſecrata.

XX.

שאינו ראוי אלוהם או שלא בטהורה, *ne contemtim habeant res ſacras, apponendo eas homini, cui non licet illas comedere, aut qui eſt immundus. ad Lev.* 22. Quænam autem illa ſacra ſint, quæ profanari vetat Deus, patet ex adjectis verbis את אשר ירימו ליהוה *illud, quod elevabunt, ſeu facient Terumam Jehovæ*; quæ verba recte exponit *Abarbanel l. c.* היא התרומה אשר ירימו לכבוד השם *hæc eſt Teruma, quam elevare ſeu afferre ſolent in honorem Dei.* In hanc igitur Legem peccat is, qui comedit proventum, de quo nondum ſeparata eſt Ablatio ſeu Teruma. Nam Terumam, quæ ſancta eſt, ſimul cum reliquo proventu, de quo ea nondum ſeparata eſt, comedendo, non majoris ſe eam facere oſtendit, quam quemlibet cibum vulgarem. Optime *R. Levi ben Gerſom* ſenſum hujus dicti explicat: הנה יתבאר מזה שאעפי שלא הרימו תרומה עדיין אם אכלו מן הטבל הראוי להרים ממנו תרומה יתחייבו מיתה שהם חללו מה שבו מהתר ומה *Ecce hinc patet, quod, ſi quis comedit de fructibus, de quibus ſeparanda eſt ablatio, quamvis ea nondum ſeparata ſit, reus ſit mortis, quia profanavit illud de Teruma ſeu ablatione, quod in eo proventu adeſt. Comment. ad Lev.* 22. *f.* 166 *col.* 3. Fruſtra igitur *Jo. Clericus in Comment. ad h. l. Rabbinis* dicam impingit, quod *in alienum locum hanc Legem conſe-*

XX. Quiſquis de *Tevel* טבל comedit, quantum eſt oliva, antequam ſeparata ſit inde ablatio major & * ablatio decimarum,

conferant, cum ipſe contra graviſſime hoc loco hallucinetur, dum verba את קדשי בני ישראל neglecto ſtatu conſtructo, vertit: *non profanabunt Iſraëlitæ res ſacras;* falſo exiſtimans ſenſum neceſſario id poſtulare, cum hæc verba ſine Solœciſmo, ut ipſe vertit, transferri nequeant.

* *Ablatio decimarum.* Hac in re diſſentire videtur *R. Levi ben Gerſom* ab Autore noſtro, dum reatum mortis illis tantum tribuit, qui ante ablatam Terumam frugibus veſcuntur: לפי שהתורה לקחה החמור שבזה הסוג והיא חייבת בו מיתה והוא הטבל שתרומתו בתוכו הנה יתבאר שהטבל שנטלת תרומתו ולא מעשרו הוא באזהרה ולא במיתה *Quia Lex illud nominavit, quod in hac ſpecie gravius eſt, eique reatum mortis tribuit,* (*nimirum nominavit Tevel, in quo adhuc eſt ablatio ſeu Teruma,* i. e. fructus, de quibus nondum ſeparata eſt ablatio,) *inde patet, quod fruges, de quibus ablata eſt Teruma, nondum autem ablatæ ſunt decimæ, ad idem interdictum quidem ſpectent, reatum vero mortis non habeant. Comment. ad loc. cit.* Sed amice conſentiunt. Nam quod *Autor noſter* vocat ablationem decimarum, illud *R. Levi* nomine ablationis etiam comprehendit; ut ſic Levitis, poſtquam decimas acceperunt a plebe, æque interdictum ſit iis veſci, antequam ſeparaverint *ablationem decimarum*, ac plebejo vetitum eſt frumento ſuo veſci, antequam ſeparaverit *ablationem magnam*.

is reus eſt mortis cœlitus infligendæ, quia dictum eſt *l. c. Et non profanabunt ſancta filiorum Iſraëlis &c. ne onerent ſeipſos reatu. v.* 16. Qui vero comedit quicquam de eo, de quo jam ſeparata eſt ablatio magna & ablatio decimarum, nondum autem reliquæ decimæ, quamvis nihil aliud ſuper-eſſet ſolvendum, quam decimæ pauperum, ecce ille vapulat eo nomine, quod comederit טבל *Tevel.* Reus autem mortis non eſt. Nam reatus mortis tantum contrahitur, cum nondum ſeparata eſt ablatio magna & ablatio decimarum.

XXI. Vetitum eſt comedere de טבל *Tevel*, de quo nullæ omnino decimæ ablatæ ſunt, quia dictum eſt: *Non potes comedere intra portas tuas decimas frumenti tui.* (*Deut. XII*, 17.) In *tractatu* vero *Terumoth* & *Maaſeroth* explicatur, de quanam re perſolvendæ ſint ablationes & decimæ, & quænam res ab hoc jure excipiatur, ut & de qua re ſolvendæ ſint decimæ ex Lege, & de qua re ſolvendæ ſint ex decreto Scribarum. Quicunque autem, quantum eſt oliva, comedit de eo, quod ex ipſorum decreto eſt *Tevel* טבל aut de heterogeneis vineæ extra terram Iſraëliticam, is plectitur

tur verberibus (*fuſte infligendis*) ob rebellionem.

XXII. Liquores, qui orti ſunt e *Tevel* טבל, proventu novo, ſacratove, ſponte naſcentibus fructibus anni ſeptimi, heterogeneis, aut præputio arborum, æque ac ipſi fructus vetiti ſunt; non tamen quisquam (*loro*) propter eos vapulat, præter vinum aut oleum de præputio arborum, & vinum ex uvis vineæ heterogeneis conſitæ expreſſum, propter quæ eodem modo vapulandum eſt, ac propter ipſas uvas & olivas, ex quibus exprimuntur.

XXIII. Cæterum in ſacris alii quoque cibi vetiti ſunt, iique omnes Lege. v. g. Interdicta quædam prohibent veſci ablationibus, primitiis, placenta*, decimis ſecundis,

* *Placenta* חלה. Placenta hoc loco intelligitur, quæ ex mandato divino (*Num. XV*, 19. *ſqq.*) a qualibet maſſa farinæ, quæ depſebatur, ſeparanda Deoque conſecranda erat, idque præceptum ſolam terram Iſraëlis ſpectabat, eoque tantum tempore, cum Judæi illic rerum potirentur. Obſervari tamen adhuc ſolet hoc præceptum, licet alia atque alia ratione ubique locorum ex decreto ſapientum, ne oblivioni per diuturnum exilium tradatur. In illa terræ Iſraëliticæ parte, quam & ex Ægypto & Babylone reduces Iſraëlitæ tenuerunt, ſeparat piſtor de paſta unam partem quadrageſimam octavam, alius vero

cundis, & quædam interdicta agunt de iis, quæ altari conſecrata ſunt, v. g. de eo, quod cogitando de tempore illegitimo * temeratum,

vero] Paterfamilias vel Materfamilias partem vigeſimam quartam, eamque dat Sacerdoti comedendam. In ea autem parte regionis Iſraëliticæ, quam occuparunt quidem ex Ægypto venientes, ſed Babylone redeuntes non obtinuerunt, ſeparantur binæ placentæ, prior quæ pars eſt paſtæ quadrageſima octava comburitur in clibano, poſterior, cujus magnitudo non determinata eſt, datur Sacerdoti comedenda. In reliquis vero regionibus binæ etiam ſeparantur placentæ, prior cujuscunque libet magnitudinis comburitur, altera, quæ eſt pars quadrageſima octava maſſæ, datur Sacerdoti comedenda. Quia vero Spiritus S. in mandato de hac placenta utitur voce תרומה *Teruma*, colligunt inde Doctores, quod כל שאינו אוכל תרומה אינו אוכל חלה וכל האוכל תרומה אוכל חלה *cuicunque non liceat comedere ablationem, ei nec liceat comedere placentam hanc; cuicunque vero liceat comedere ablationem, ei liceat comedere hanc placentam. Majmonid. Biccurim cap. V. hal.* 15. Cum vero hæc interdicta, ut recte monet Autor noſter, hujus loci non ſint, contentus vocem hanc expoſuiſſe, ea prudens prætereo. Cætera, quæ de hac placenta obſervanda ſunt, fuſe & accurate pertractat *idem tract. cit. c. V. VI. VII. & IIX. Schylchan Aruch Tract. Challa.* Conf. *integer tractatus Talmud. Challa.*

* *Temeratum.* פיגול. Ita vocabatur caro ſacrificii, circa cujus oblationem peccaverat Sacerdos, dum in animo habuerat facere illud alieno tempore: vide

ratum, reſiduum* vel immundum eſt, quorum quodque ſuo loco explicabitur.

XXIV. Menſura autem omnium horum ciborum, ad quam fit æſtimatio, num quis vapulare vel exſcindi debeat, eſt oliva. Expoſuimus autem jam ante interdictum fermenti in Paſchate & ritus circa illud tenendos in *Tractatu Chamez umazza.* Interdictum autem cibi in die expiationis ſpeciem peculiarem conſtituit. Pari modo interdictum, quo vetitum eſt Naziræo, quicquid naſcitur e vite, non extenditur æqualiter ad omnes. Et propterea exponetur quodlibet horum interdictorum, cum menſura ſua & ritibus ſuis loco cuilibet congruo.

---

vide *Majmon. Piſſule mukdaſchin c. XIII. hal.* 1. & *c. XVI. h.* 1. Conf. *Raſchi ad Lev. VII,* 18. *Peſachim fol.* 24. alii vertunt: *abominandum.*

* *Reſiduum* נותר. Autor noſter hanc vocem ita exponit: קרבן שלא נפסדה מחשבתו אלא נזרק דמו על המזבח כהלכתו ונשאר ממנו לאחר זמן אבילתו אותו הנשאר נקרא נותר ואסור לאכלו *Si quod ſacrificium cogitando temeratum non fuerat, ſed ſanguis ejus legitime adſperſus fuerat altari, de eo autem aliquid reliquum manſerat poſt Lege definitum tempus, intra quod ejuſmodi carnes comedere licebat, tum illæ reliquiæ vocabantur* נותר *reſiduum, iisque veſci vetitum erat. ibid. c. XIII. hal.* 3.

CAPUT XI.

הלכות
יין נסך

SEU
CONSTITUTIONES
DE VINO LIBAMINIS.
(*IDOLORUM.*)

VInum libatum cultui idolorum uſui interdictum eſt, & quicunque de eo quantulumcunque bibit, vapulat ex Lege. Sic & qui quantulumcunque edit de eo, quod idolis oblatum eſt, ſive ſit caro ſive fructus, imo ſi vel ſit aqua vel ſal, vapulat, quia dictum eſt (*Deut. XXXII*,38.) *Qui adipem *ſacrificiorum eorum comedere ſolent, & bibere vinum * libaminis eorum, ſurgant &c.*

II. Ea-

* *Qui adipem &c.* Quam accurate voluerit Deus interdictum de idolothytis obſervari, patet ex hiſtoria Bileami, ubi ira Dei exarſiſſe narratur, quia Moabitides *ad ſacra Deorum ſuorum ipſos vocantes* ſecuti fuerant Iſraëlitæ, & *cum iis comederant, eorumque Deos adoraverant. Num. XXV*, 2. conf c. *XXXI*, 15 Hic enim Deus etiam propterea Iſraelitas puniviſſe legitur, quia idolothyta comederant,

II. Eadem ratio eſt vi[illegible]idolis libati &

M 5 ſacri-

rant, quod præterea patet *Apoc. II*, 14. ubi dicitur Bileam docuiſſe Balakum βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι. In concilio etiam Apoſtolico cum interdictum de *idolothytis* retineatur *Act. XV*, 29. manifeſtum eſt magni uſus illud fuiſſe in eccleſia Iſraelitica. Exiſtimo autem generali interdicto de idolothytis etiam *vinum libaminis* contineri, cum dicitur: *Ex. XXXIV*, 15. Cave ne *incolæ terræ deis ſuis ſacra facientes te vocent, & tu eorum ſacrificio veſcaris.* Æque enim ad libamen ac ad carnes cauſa interdicti pertinebat; partim ne Iſraelitæ nimiam cum Ethnicis familiaritatem contraherent, & propter eam mores etiam eorum & idololatriam imitarentur, quod facile fieri potuiſſet, ſi licuiſſet Iſraelitis ſine hæſitatione eodem cibo & potu cum gentilibus frui, cum communio victus non leve animorum vinculum ſit, & in conviviis ſæpe homines non plane ſicci divinarum Legum minus curioſi eſſe ſoleant; partim etiam quia is, qui ſciens volensque vinum libatum idolis bibit, eodem actu abit a ſua religione & idolorum cultum profitetur, & ſic propriam conſcientiam vulnerat, Ethnicoque non leve ſcandalum præbet, unde docet Apoſtolus, eos etiam κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι, qui bibunt ποτήριον δαιμονίων, 1. *Cor. XI*, 20. 21. adeoque, quod de idolothytis dicit *Raſchi*, non minus commode ad vinum libaminis referri poteſt: כסבר אתה שאין עונש באכילתו ואני מעלה עליך כמודה בעבודתם *ne exiſtimes, quod non puniatur is, qui de illo comedit. Ego enim te, ſi id feceris, eodem loco habebo, ac ſi cultum idolorum approbaſſes. Comm. ad Exod. XXXIV*, 15. Cum vero non fiat hoc loco expreſſa vini mentio, aliunde hoc interdictum derivare

ſacrificii oblat[illegible]. Quandoquidem enim utrum-

---

rivare voluit Autor noſter, ſcilicet ex cantico Moſis *Deut.* XXXII, 38. *Qui adipem ſacrificiorum eorum comedunt, & bibunt vinum libaminis eorum, ſurgant &c.* ubi quidem expreſſe nominatur *vinum libaminis;* ſed ad quod ſubjectum referatur vox *bibunt*, dubium eſt. Autor noſter eam ad Iſraëlitas ejusmodi vinum bibentes referendam eſſe cenſet, a qua opinione nec omnino alienus eſt *R. Levi ben Gerſom*, dicens, ſi cultum Dei deſerant Iſraëlitæ idolorum ſuperſtitioni adhærentes, quod hujus idololatriæ cauſa gravibus pœnis affectis
לזה יאמר להם ה׳ ית׳ אז על יד עבידיו הנביאים איה האלהות שהלכו אחריהם אבותיהם ואיה הע״ז שחסו בה אשר היו אוכלים ישראל מתקרובת הע״ז והיו שותים מן היין שינסכו לשמה *propterea dicturus ſit illis Deus B. per ſervos ſuos Prophetas, ubi nunc ſint dii illi, quos ſectabantur patres eorum, & ubi idola illa, de quorum oblationibus Iſraëlitæ comedebant, & bibebant de vino, quod libatum erat nomini eorum. Comm. ad Deut. f.* 244 *col.* 3. ubi Iſraëlitas putat eſſe eos, qui dicuntur *comedere & bibere*; idola autem eſſe eos, quibus tribuuntur *ſacrificia & libamina.* Unde porro colligit, quod, cum ex hiſtoria de Baal-Peor notum ſit, quod non liceat comedere idolothyta, Deus autem hoc loco Iſraëlitas objurget, tam quia vinum libaminis biberant, quam quia comederant ſacrificia, ממה שאנחנו מוזהרים משתיית יין נסך שנתנסך לע״ז *hinc ſequatur, vetitum eſſe nobis bibere vinum libaminis idolis conſecratum, l. c. f.* 243. *col.* 1. Ab hac expoſitione abit *Aben Ezra* eumque ſecutus *Abarbanel.* Hi enim verba ſupta memorata per proſopopœiam

utrumque interdictum e reſpectu idolorum

popœiam gentilibus tribui putant Judæos in calamitates delapſos deridentibus, iisque exprobrantibus, quod ſine uſu fuerit cultus, quo Judæi verum Deum coluerint, quod autem de unico Deo in plurali loquantur, id fieri ex more ſuperſtitionis gentilium πολυθεότητα credentium. Sed longe melius *Raſchi* hæc verba Dei ad ipſa idola refert, dicens: אשר חלב זבחימו היו אותן אלהות אוכלים שהיו מקריבים לפניהם ושותים יין נסיכם *Qui adipem ſacrificiorum eorum, i. e. comedebant dii illi, quæ coram illis offerebantur, & bibebant vinum, quod a cultoribus eorum illis libabatur. Comm. ad h. l.* Nec alia eſt Talmudicorum mens, quamvis illi etiam in *Avoda Sara f.* 29. *b.* ex hoc dicto probare velint, quod vinum libaminis ſit vetitum יין מנלן אמר רבה בר אבוה אמר קרא אשר חלב זבחימו יאכלו ישתו יין נסיכם מה זבח אסור בהנאה אף יין אסור בהנאה i. e. interprete Celeberr. Edzardo: *Undenam conſtat nobis, quod vinum gentilium ſit eo rigore prohibitum, ut nullum prorſus commodum percipere ex eo liceat? Reſp. Rabba filius Aſubi dicit conſtare id ex dicto* (Deut. XXXII, 38.) Qui adipem ſacrificiorum ipſorum comederunt, biberunt vinum libaminis ipſorum, *ubi conjunguntur ſacrificia & vinum libaminis, ita ut par iſtorum ratio eſſe cenſeatur, unde ita infert: Quemadmodum ex ſacrificiis gentilium non licet utilitatem percipere; ita etiam percipere iſtam non licet e vino illorum, quia nunquam non metuendum eſt, ne illud idolis libaverint.* Hic enim nec κατὰ τὸ ῥητὸν nec κατὰ τὴν διάνοιαν argumentantur, cum inde quod in eodem verſiculo occurrit vox *ſacrificiorum* & *vini*, concludunt

rum ortum eſt, nulla dimenſione hic opus

cludunt, non modo vinum libaminis, ſed & aliud quodcunque gentilium & potui & uſui eſſe interdictum. Verum hujusmodi rationes non demonſtrationis, ſed tantum memoriæ adjuvandæ cauſa ab iis adhiberi ſolent: & ſic per accommodationem tantum, eamque duriſſimam huc referunt verba DEI, quorum ſenſus verus & literalis, quem etiam *Raſchi* propoſuit, eſt iſte: Agant, ſurgant dii iſti veſtri, vosque adjuvent, & vobis latibulum præbeant adverſus irruentes calamitates, quorum promptam & præſentem operam tot ſacrorum animabus, ſanguine vel nidore, tanta vini profuſione emiſtis! ſurgant, inquam, ſi quid valent, niſi ingrati ſunt, frugesque tantum abſumere nati, & cibi potusque toties ſibi conſecrati immemores! ubi duplici ironia elegantiſſime cultus iſte idolorum ridetur, *partim* ob impotentiam idolorum, quippe cum dæmones, qui colebantur, non ſurgere nec juvare poſſent, ubi Deus populum pœna afficere decreverat, qui ſenſus patet e verſu ſequente, in quo Deus ſibi ſoli potentiam vel puniendi vel juvandi adſcribit, *partim* ob ſtultitiam idololatrarum, qui ſeſe exiſtimabant hoc ſuo cultu deos demereri ſibique ad mutua officia devincire. Qua ſtolida perſuaſione laboraſſe Ethnicos, patet ex verbis Jovis *Homerici*, qui ſe fatetur ideo omnium urbium maxime honoraſſe Trojam:

Οὐ γάρ μοί ποτε βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης,
Λοιβῆς τε, κνίσσης τε, τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς.

Non enim mihi nunquam ara carebat convivio ſufficiente, libationeque nidoreque, hunc enim nos ſortiti ſumus honorem. Iliad. δ. Et Apollo ingrati animi nota perſtringit collegas ſuos:

Σχέτλιοι

opus eſt; Sed hic valet id, quod de quacunque

Σχέτλιοι ἐστὲ θεοὶ δηλήμονες, οὔ νύ ποθ' ὔμῖν
Ἕκτωρ μηρί' ἔκηε βοῶν αἰγῶν τε τελειῶν;
Τὸν νῦν οὐκ ἔτλητε νέκυν περ ἐόντα σαῶσαι.

Improbi eſtis Dii noxii, nonne quondam vobis Hector crura cremavit boum caprarumque integrarum? Hunc jam non ſuſtinetis etiam mortuum exiſtentem ſervare. Il. ω. v. 32. conf. *Iliad. α. v.* 35. Hanc opinionem merito explodens *Arnobius*: *Inhoneſtas*, inquit, *vos famas adjungitis Diis veſtris, ſi aliter eos negatis præſtare, quæ bona ſunt, atque inimica transvertere, niſi prius emti fuerint capellarum atque ovium ſanguine, & cæteris quæ admoventur altaribus. Libr. VII. adv. gentes.* Imo inter ipſos Ethnicos nonnulli ſapientiores hunc errorem improbarunt, ut *Perſius Sat. II.* 45. *Plato Alcib.* 2. οὐ γὰρ οἶμαι τοιοῦτόν ἐστι τὸ τῶν θεῶν ὥστε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι οἷον κακὸν τοκιστήν, *neque enim opinor ejusmodi eſt Deorum natura, ut ducantur muneribus, quemadmodum improbus fænerator.* Cum vero, ut ſupra dixi, Deus ejusmodi tantum vinum prohibuerit, quod idolis libatum eſt, (unde & Eſther in *adjectionibus ad libr. Eſth. c. XIV,* 17. fingitur dicere, *ſe non bibiſſe vinum libaminis.*) videtur Daniel cum ſociis ſuis tantum majoris cautelæ gratiæ abſtinuiſſe a vino menſæ Regiæ Nebucadnezzaris, ne forte illud bibenti interdum eveniret, ut ignorans etiam biberet vinum libaminis, & ſemper alioquin dubitandum foret de vino. *Dan. I,* 8. & hanc etiam exiſtimo fuiſſe cauſam ejus interdicti, quo communi Hillelianorum & Schammæanorum decreto prohibitum eſt omne vinum Ethnicorum. *Avoda Sara f.* 36. *col.* 1. Hanc enim conſtitutionem non eſſe divinam, non modo ex iis, quæ dicta ſunt, patet, ſed & ex *cap. hujus hal.* 3. & inter alia ex ſententia undecim Rabbinorum, quibus Rex Pirgandicus

cunque re ad cultum idolorum ſpectante dictum eſt: * *Ne adhæreſcat manui tuæ quicquam de anathemate*, Deut. XIII, 17.

III. Vinum Cuthæorum, quod non novimus, an libatum ſit, nec ne, quod ſcilicet ſimpliciter vocamus vinum eorum, uſui interdictum eſt, velut vinum, quod libatum eſt. Res autem hæc ita eſt ex deciſionibus ſcribarum, & qui de eo, quod ſimpliciter vocatur vinum eorum, bibit ** quartarium, afficitur verberibus ob rebellionem.

IV. Omne etiam vinum, quod contigit Cuthæus, vetitum eſt, quia fortaſſe tangendo

gandicus propoſuerat optionem, ut vel carne ſuilla veſcerentur, vel cum meretricibus Ethnicis pernoctarent, vel vinum gentilium biberent. Hi enim hoc prætulerunt, utpote tantum ſapientum decreto vetitum, cum & iſtud & illud a Deo ipſo eſſet interdictum, prout hanc vel fabulam vel hiſtoriam ex *libro Caphtor* enarrat Buxtorf. *de Abbrev. p.* 198.

* *Ne adhæreſcat quicquam.* Ne videlicet ulla ſit communio inter fideles & idola. Accurate hanc materiam pertractavit *Autor noſter in Tractatu* עכו״ם *c. VII. & VIII.* & qui eum verſione & notis illuſtravit *Dionyſius Voſſius.*

** *Quartarium.* Menſura eſt liquidorum exigua, nempe quarta pars Logi, continet autem ovum unum cum dimidio. Nam menſura Log capit ſex ova. vid. *Kimchi in l. Radd. Pocock. in notis ad port. Moſ. p.* 361. *ſqq.*

gendo conſecravit illud. Nam cogitatio Cuthæi ad cultum idolorum plerumque directa eſt. Ecce igitur didiciſti, quod vinum etiam Iſraëlitæ, quod contigit Cuthæus, jure eodem loco habeatur, ac vinum eorum ſimpliciter ita dictum; hoc vero uſui interdictum eſt.

V. Si quis Cuthæus tangit vinum, nec id data opera, aut ſi infans Cuthæus vinum tangit, illud potui interdictum, uſui vero licitum eſt. Si quis ſervos ſibi comparat de Cuthæis, eosque * circumcidit & bapti-

---

* *Circumcidit & baptizat.* Judæi quippe qui in externo opere acquieſcunt, proſelyto aditum in ſuam Eccleſiam, ſive res credendas accurate norit, ſive minus, pandunt per circumciſionem & baptiſmum, quibus olim accedebat ſacrificium. Sed cum hoc tempore ſacrificia offerre nequeant templo deſolato, eos in proſelytorum juſtitiæ numerum recipiunt, qui circumciſi & baptiſmo tincti ſunt. Nam לעולם אין גר עד שימול ויטבול וכיון דלא טביל נכרי הוא *nunquam quis cenſetur proſelytus, niſi circumciſus & baptizatus fuerit. Nam quamdiu nondum baptizatus eſt, cenſetur alienigena. Jevam. f.* 46. *a. & ibid.* חכ״א טבל ולא מל מל ולא טבל אין גר עד שימול ויטבול *Sapientes dicunt, ſi quis vel baptiſatus nec tamen circumciſus, vel circumciſus nec tamen baptiſatus eſt, non cenſetur eſſe proſelytus, donec & circumciſus & baptiſatus ſit.* Conf.

baptizat, illi mox non amplius cenſentur vinum idolis libare, & ſi vel vinum tangant, illud tamen bibere licet, quamvis nondum adſueverint moribus Iſraëlitarum, necdum de idolis loqui deſierint.

VI. Filii ſervarum Cuthæarum nati, dum eæ in poteſtate Iſraëlitarum ſunt, ſi circumciſi quidem ſunt, non autem baptizati, majores natu tactu ſuo vinum faciunt vetitum; minores vero non item.

VII. Vinum * proſelyti inquilini, id eſt, qui

Conf. *Celeberr. Danz. de baptiſmo proſelyt. Seldenus de jure N. & G. l. 2. c. 2.*

* *Proſelyti inquilini.* Cum olim Iſraëlitæ in ſua regione rerum potirentur propriique juris eſſent, non licebat ulli idolorum cultori in ea ſedes figere, ex mandato Dei, quo vetabantur idololatræ *in terra* Iſraëlitarum *commorari Exod. XXIII*, 33. verum ethnico, qui in terra Iſraëlis habitare volebat, ſi vel circumciſionem & baptiſmum reſpueret, permitti tamen poterat, ut civis eſſet ejusdem reipublicæ, modo coram tribus teſtibus ſeptem præceptis Noachidarum ſe ſubmitteret, quorum primum eſt de fugienda idololatria, ut ea *ſupra recenſui*, *p.* 73. Hujusmodi homines ipſe etiam Spiritus S. vocat התושבים הגרים עמכם *inquilinos, qui peregrinantur apud vos:* quod nomen apte exponit *Onkelos* תותבא ערליא דדיירין עמכון *inquilinos præputiatos, ſeu non circumciſos, qui habitant vobiscum.* Lev XXV, 45. *Majmonides* hæc ita explicat: אי זה הוא גר תושב זה כותי שקבל עליו

qui recepit ſeptem præcepta (*Noachidarum*,) quemadmodum alibi expoſuimus, bibere non licet; ſed tamen eo uti licet; & relinqui poteſt vinum eo ſolo præſente, non autem poteſt ejus cuſtodiæ tradi, ita ut apud eum deponatur. Sic & quicunque Cuthæus non colit idola, cujusmodi ſunt * hæ gentes, (*i.e. Mahummedani*,) ejus

עליו שלא יעבוד ע״ז עם שאר המצוות שנצטוו בני נח ולא מל ולא טבל הרי זה מקבלין אותו והוא מחסידי אומות העולם ולמה נקרא שמו תושב לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל *Quid ſignificat* גר תושב ſ. proſelytus inquilinus vel domicilii? *Ille eſt gentilis, qui profeſſus eſt ſe non culturum idola, cæteriſque præceptis, quæ data ſunt Noachidis, ſe ſubjecit, nec tamen circumciſus vel baptizatus eſt. Ejusmodi enim hominem admittunt, talesque ſunt homines nonnulli pii de gentibus mundi. Cur autem vocatur nomen ejusmodi viri* תושב *inquilinus? quia licet nobis concedere ei libertatem incolendi terram Iſraël. Tract. Iſſure bia c. XIV. hal.* 7. Conf. *ejusd. Tr.* עכום *c.* 10. *Selden. de Jure N. & G. l.* 2. *c.* 3. & 7.

* *Hæ gentes.* Videlicet inter quas habitabat Majmonides, i. e. Muhammedani. Nam Chriſtianos inique idololatris accenſet, cum *ſequenti cap. XIII. hal.* 11. tantum nominet *Iſmaëlitas*, i. e. Muhammedanos. v *Wulfer. ad Schekalim p.* 36. *Idem* ad Theriac. Jud. p. 137. locum, qui in editis codicibus deeſt,

 ex

ejus vinum potui quidem interdictum, uſui vero conceſſum eſt, & ſic omnes illi illuſtres Magiſtri docuerunt: Si qui vero Cuthæi idola colunt, vinum eorum ſimpliciter ita dictum, uſibus conceſſum non eſt.

IIX. Ubicunque dicitur in hac materia, quod vinum fiat vetitum, reſpiciendum eſt, num Cuthæus ille, cujus opera vinum fit vetitum, ſit cultor idolorum, tum enim vinum etiam uſui interdictum eſt; Si vero ab idololatria eſt alienus, tantum potui interdictum eſt. Ubicunque autem ſimpliciter nominatur Cuthæus, intelligendus eſt cultor idolorum.

IX. Non aliud vinum idolo libatur, quam quod aptum eſt, ut ſuper altari poſſit offerri. Itaque, cum deciderunt ſapientes de vino Gentilium ſimpliciter ſic dicto, & cum deciderunt de omni vino, quod attigit Cuthæus, quod id uſui interdictum ſit, non intelligendum eſt hoc interdictum, niſi de vino, quod aptum eſt, ut libari

ex MSto adducit, quo Majmonides expreſſe Chriſtianos vocat idololatras *Tract.* עכו״ם *c. IX.* Hoc tamen tempore in his regionibus cupido lucri facit, ut hanc diſtinctionem Judæi plerique minus accurate obſervent.

bari queat. Vinum itaque Iſraëlitæ * coctum ſi quis Cuthæus attigit, vetitum illud non eſt, ſed vel illud cum Cuthæo ex eodem poculo bibere licet. Si vero Cuthæus contigit vinum aqua mixtum, aut vinum, quod aceſcere quidem cœpit, potui tamen nondum penitus ineptum eſt, tum illud evadit vetitum.

X. Illuſtres quidam Doctores occidentales docuerunt, quod, ſi immiſtum eſt vino Iſraëlitæ paullulum ** mellis aut fermenti (*cum illud* altari propterea aptum non ſit,) eandem habeat rationem, quam

 vinum

* *Coctum.* Nam יין מבושל אין בו משום יין נסך *In vino cocto non eſt metuenda libatio.* Adeoque ſine ullo ſcrupulo conſcientiæ Judæus vinum ſuum coctum cum Ethnico bibit. *Avoda Sara fol.* 30. *a.*

** *Mellis.* Cum enim ex Lege *Lev. II,* 11. Deo vero fermentum & mel offerre non liceat, putarunt Judæi hoc modo impediri poſſe, ne gentilis vinum idolo conſecrare queat: Quia vero gentiles circa ſuas oblationes idololatricas non obſervant has Leges Moſaicas; ſed forte mel & fermentum offerunt, recte monet *Karo in Ceſeph Miſchne*, quod אין לסמוך על הוראה זו שהורו גאוני המערב שכבר דחאוה כל האחרונים בשתי ידים *non poſſit tuto fides adhiberi huic doctrinæ Doctorum occidentalium* (i. e. e terra Iſraëlitica,) *cum omnes poſteriores eam utraque manu repulerint.* ad h. l.

vinum coctum aut zythus, nec poſſit libari, liceatque illud cum Cuthæo bibere.

XI. A quo tempore vetitum eſt vinum Cuthæorum? Ab eo tempore, cum Cuthæus calcare incipit, vinumque fluere, quamvis nondum defluxerit in hypolenium, ſed adhuc ſit in torculari, ecce illud vetitum eſt. Propterea non calcant vinum cum extraneo (*gentili*,) in torculari, ne forte tangat manu ſua & conſecret, licet ligatas manus haberet, (*vel manibus careret*,) nec recipiunt ab eo torcular vini calcati, quamvis adhuc vinum miſtum foret granis & folliculis acinorum, necdum deſcendiſſet in hypolenium.

XII. Si quis Cuthæus calcavit vinum, nec illud (*manu*) tetigit adſtante Iſraëlita, (*eumque obſervante*,) ipſeque Iſraëlita vinum dolio infudit, illud potui (*tantum*) interdictum eſt.

XIII. Non licet uti aceto Cuthæorum: fuit enim vinum libaminis, antequam aceſceret. Si quis Cuthæus diſcerpit uvas in dolio, quamvis vinum ſuper manus ejus diffluat; non tamen creditur hoc vinum conſecraſſe. Vel ſi comedit ex corbibus, relinquitque circiter ſatum aut ſata

duo

duo (*uvarum*) easque injicit torculari, quamvis vinum (*hoc motu expreſſum*) ſpargatur ſuper uvas; non tamen cenſetur Cuthæus illud conſecraſſe.

XIV. Vinacei * & folliculi acinorum vetiti ſunt integris duodecim menſibus; Sed poſt duodecim menſes jam aruerunt, nec in iis reliquus eſt humor, licitumque eſt iis veſci. Sic quoque fæces vini, quæ aruerunt, poſt duodecim menſes licitæ ſunt, quia ecce non ſupereſt in iis odor vini, adeoque ſunt inſtar pulveris & terræ.

XV. Utres urceique fictiles Cuthæorum, quibus immiſerunt vinum ſuum, vino noſtrate replere vetitum eſt, donec quis eos ** vacuos aſſervaverit per duodecim menſes, aut admoverit igni, usque

* *Vinacei.* Imo ex ſententia R. Johannis כשהן אסורין אסורין אפילו בהנאה כשהן מותרין מותרין אפילו באכילה *Dum vetiti ſunt, etiam uſibus ſunt vetiti; dum liciti, etiam iis veſci licet. Avoda Sara fol.* 34. *a.*

** *Utres Cuthæorum.* Autor noſter, quam primum uſus eſt Ethnicus vel utribus vel urceis, utrosque vetitos eſſe ſtatuit, niſi purgentur eo modo, quem hic deſcribit: de utribus alia eſt Raſchi ſententia, quippe qui utres, quibus brevi tantum tempore uſus eſt Cuthæus, vinum nondum combibiſſe ſtatuit. *vid. Celeberr. Edzardi annotat. ad Avoda Sara c.* 2. *p.* 433.

dum molleſcat pix, qua inducti ſunt, vel incaleſcant, aut donec quis per triduum eos impleverit aqua, ita ut vicenis quaternisque horis aquam veterem effuderit, recentemque infuderit, & ſic aqua intra tridui ſpatium ter mutata fuerit; ſive illa vaſa fuerint Ethnicorum propria, ſive ea mutua ſumpſerint ab Iſraëlita, ſuoque vino impleverint; Si quis autem Iſraëlita hujusmodi vaſis ante mundationem infudit vinum ſuum, illud potui interdictum eſt.

XVI. Licet autem confeſtim iis infundere * zythum, ſalituram aut muriam, nec ulla mundatione prævia opus eſt, & licet iis poſtmodum infundere vinum, poſtquam infuſa fuit ſalitura aut muria, quia ſal, qui in iis eſt, exurit (*ſaporem vini.*)

XVII. Si quis a Cuthæis accipit vaſa nova, quæ non ſunt pice lita, licet ei confeſtim iis ** infundere vinum, nec opus eſt, ut ſit ſollicitus, num ante Cuthæus iis infuderit vinum libaminis; Si vero pice lita ſunt,

* *Zythum, ſalituram &c.* vid. *Avoda Sara f.* 33.

** *Infundere vinum.* Nec tamen hic omittenda eſt ſimplex mundatio, quæ fit abluendo aqua.

ſunt, abluit ea, quamvis nova ſint: Sic quoque vaſa, quibus infuſum quidem fuit vinum libaminis, ſed non eo fine, ut in iis aſſervetur, cujusmodi ſunt hauſtra aut infundibula aliaque ejus generis, eluenda ſunt aqua, idque ſufficit.

XIIX. Vetitum eſt bibere de poculo fictili, de quo bibit Cuthæus, etiamſi quis illud eluat *ſemel iterumque; tertia vero vice licet: jam enim diffluxerunt nitentes vini guttulæ; idque intelligendum eſt de poculo plumbato, more figulis conſueto, aut pice oblito; Si vero nudam habet teſtam, (*plena*) opus eſt ablutione: (*aqua ſcil. per triduum infuſa.*)

* *Eluit ſemel iterumque.* Verba Tractatus *Avoda Sara*, ex quibus hanc conſtitutionem derivat *Autor noſter*, ſunt: אי שתי בהו גוי — — פעם ראשון ושני אסור שלישי מותר interprete Edzardo: *Si primo & ſecundo uſu biberit ex illis gentilis, ſunt prohibita, donec per triduum aquis fuerint repleta: Si autem tertio demum uſu ex illis biberit, ſunt licita poſt ſimplicem & communem ablutionem.* In qua verſione vir celeberrimus ſequitur *Raſchii* autoritatem. Sed *noſter Autor* verba illa: *prima & ſecunda vice*, non de uſu poculi, ſed de ablutione intellexit; eamque expoſitionem etiam *Autores Toſaphoth* ex mente R. Tam proponunt. Sed non dubito, *Raſchii* expoſitionem huic] *Autoris noſtri* præferre, cum multo commodior ſit, minusque dubiorum pariat.

XIX. Vaſa teſtacea plumbata, quibus uſi ſunt Gentiles ad vinum libaminis, ſi alba, rubra, aut nigra ſunt, licita cenſentur, (*poſt primam ablutionem*;) Si vero viridia ſunt, vetita cenſentur. Hæc enim (*vinum*) imbibunt. Si quis vero locus plumbatura nudatus eſt in teſta, ſive plumbatura alba, ſive viridis ſit, vetita ſunt, quia vinum imbibunt. Mihi autem videtur, quod hæc non adeo curioſe obſervanda ſint, niſi ubi vinum vaſis infuſum eſt, ut in iis aſſervetur; ſi autem non eo fine infuſum eſt, ſimpliciter tantum abluenda eſſe, & poſtea iis uti licere, ſi vel nuda ſint fictilia.

XX. Torcular lapideum aut ligneum, in quo uvas calcavit Cuthæus, aut lapideum, quod pice levit Cuthæus, quamvis nondum uvas in eo calcaverit, quater abluendum eſt aqua & cinere, & tum demum Iſraëlitæ uvas in eo calcare licet. Si quid autem humoris in eo adeſt, primo cinerem inſpergere oportet, & poſtea aquam affundere. Si vero nihil humoris apparet, primum infundenda eſt aqua.

XXI. De torculari lapideo piceato, in quo uvas calcavit Cuthæus, aut ligneo piceato, quamvis nondum in eo calcaverit, opor-

oportet abradere picem. Si quis autem aſſervaverit torcular ejusmodi per duodecim menſes, aut per triduum ter infuderit aquam, non opus eſt abradere picem. Non enim gravius erit interdictum torcularis, quam urceorum, nec dicimus abradendam eſſe picem, niſi eo fine, ut torculari ſtatim uti liceat.

XXII. In torculari fictili, licet abradatur pix, vetitum eſt confeſtim uvas calcare. Prius enim igni admovendum eſt, ut pix liqueſcat. Si quis vero aſſervaverit torcular illud per duodecim menſes, aut ei per triduum ter aquam infuderit, eo uti licet, quemadmodum expoſuimus.

XXIII. Saccus colatorius, quo Cuthæi vinum colarunt, ſi e pilis factus eſt, abluendus tantum eſt, & ſic eo uti licet ad colandum; Si vero laneus eſt, oportet eum aqua & cinere ter eluere, & ſic relinquere, donec ſicceſcat, quo facto eo uti licet. Quodſi autem eſt lineus, oportet eum relinquere intactum per duodecim menſes. Si qui vero in eis adſunt nodi, ſolvendi ſunt. Sic & vaſa e vimine & ramis ſimilibusque in corbium morem plexa, in quibus uvæ calcantur, ſi funiculis conſuta

ſunt philyreis, ablui tantum ea oportet; Si vero difficili plexu ſibi invicem juncta ſunt, quater aqua & cinere abluenda, poſteaque ſoli exponenda ſunt, & tum iis uti licet. Si autem lino conſuta ſunt, relinquere ea oportet per duodecim menſes, & ſi qui adſunt nodi, illi ſolvendi ſunt.

XXIV. Vaſa torcularis, quibus uſus eſt gentilis ad exprimendum vinum libaminis, quomodo mundanda ſunt Iſraëlitæ, ut liceat ei iisdem uti? Tabulas, orcas, & ſcopas abluit; corbes vero colatorios vimineos & cannabinos ſoli exponit; ſcirpei & juncei relinquendi ſunt per duodecim menſes; Si quis vero vult eos confeſtim mundare, abluit eos aqua fervente, vel eam aqua olearum miſcet, aut ſupponit eos canali, de quo defluit aqua, vel fonti aquæ manantis immergit per horas duodecim, & poſtea iis uti licet.

XXV. Eo tempore, quo tota terra Iſraëlis ad Iſraëlitas pertinebat, accipere illic licebat a quocunque homine Iſraëlita vinum ſine ſuſpicione; extra terram vero Iſraëlis non recipiebant vinum, niſi ab homine perſpectæ integritatis (*circa res veti-*

tas

tas & licitas.) Hoc vero tempore nuſquam licet recipere vinum a quoquam, niſi qui ſit perſpectæ integritatis: id quod etiam valet de carne, caſeo & ſegmento piſcis, ut * ſupra docuimus.

XXVI. Si quis vero iter faciens divertit apud hoſpitem quocunque loco & tempore, & paterfamilias apponit ei vinum, vel carnem, vel ſegmentum piſcis, licet eo veſci, nec opus eſt interrogare de eo, ſi quis vel non noverit illud, modo certus ſit, quod hoſpes ſit Judæus; Si autem hoſpes laborat fama incuriæ & negligentiæ circa ejusmodi res, vetitum eſt apud eum divertere; Si forte autem evenit, ut quis in itinere apud ejusmodi virum divertat, non licet veſci carne, aut bibere vinum, quod apponit, niſi alius quis homo majoris fidei de iis teſtimonium perhibeat.

* *Supra docuimus.* Nempe *cap. III. hal.* 21. & *cap. IIX. hal.* 7.

CAP. XII.

CAPUT XII.

De contactu Ethnici, quo vetitum ſit vinum Judæorum.

CUjusmodi eſt tactus ille, quo Cuthæus poteſt facere vinum vetitum? Ille eſt, ut * tangat vinum ipſum vel manu ſua, vel aliquo cæterorum membrorum, quo peragi ſolet libatio, & agitet vinum. Verum ſi quis Cuthæus extendit manum ſuam in dolium, & Iſraëlitæ manum ejus apprehenſam, antequam eam educat, ita detinent, ut eam ** movere nequeat,

* *Tangat.* Non enim ſimpliciter omne vinum, quod tangit Ethnicus, uſui vetitum eſt; Sed מגע עכום לאסר בהנאה צריך שלושה תנאים אחד שנתכוין ליגע לאפוקי תינוק שנגע דלא בר כוונה הוא וכן לאפוקי נפל לבור ועלה מת שני שידע שהוא יין שלושי שלא יהא עוסק בדבר אחר *In tactu Ethnici, quo vetitum ſit uſui vinum, obſervandæ ſunt tres hæ conditiones: primo, ut in animo habeat tangere, ut excipiatur infans, qui ſine intentione tangit, utque excipiatur qui in lacum vini forte incidit, & ex eo educitur mortuus: ſecundo, ut ſciat, id, quod tangit, eſſe vinum: tertio, ut non occupatus ſit re quadam alia;* ut docetur in *Schylchan Aruch. bilc. Jen. neſech. n.* 124.

** *Movere nequeat.* Si enim eam movet, neceſſe eſt vinum

queat, interim inferne aperientes dolium, ut effluat vinum, & infra manum ejus elabatur, tum vinum non eſt vetitum. Sic quoque ſi quis apprehendit vas vini apertum, illudque agitat, (*ita ut nonnullæ guttæ ſparſim ejiciantur,*) quamvis non

vinum agitari, cùm ſurſum verſus motum ſit, dum demittebat manum, deorſum verſus moveretur & ad latera vaſis ſi eam educeret. Si vero manus ita detinetur, ut moveri nequeat, tantum ſimplice contactu motum, non autem agitatum eſt vinum, ſiquidem שכשוך זה אינו נענוע כל דהו *ut motus vocetur* - שכשוך agitatio, *non ſufficit, motum eſſe omne vinum, quod in vaſe adeſt;* ut habetur in *Ceſeph Miſchne ad h. l.* Fundamentum hujus doctrinæ eſt in *Avoda Sara c. IV. f. 59. col. 2.* ההוא אתרוגה דנפל לחביתא דחמרא אידרי כותי ושקליה אמר להו רב אשי נקמוה לידיה כי היכי דלא לשכשך ביה וברצוה עד דשייפא *Malum quoddam Medicum inciderat in dolium vini, accurrit ethnicus & illud apprehendit. Rav Aſche vero dixit præſentibus: Prehenſam detinete manum ejus, ita ut nequeat ea agitare vinum, & interim inferne educite vinum, donec ſenſim defluat.* Ea enim ratione obtinebat vini dominus uſum vini, ut illud licite ethnico vendere, nummosque hoc modo acquiſitos uſurpare poſſet, unde bene monet *Moſes Iſarles ad Schylchan Aruch tr. Jen neſech* vinum contactu Ethnici non fieri vetitum uſui ſi vel Ethnicus illud tangat, ליטול דבר משם שנפל שם *ut aliquid tollat, quod in vinum incidit.*

non elevaverit vas, nec tetigerit vinum, tamen vinum vetitum eſt.

II. Si Cuthæus ſublatum vas vini elevavit, & aliquid de vino effudit, quamvis non agitaverit, vetitum eſt. Nam ipſe admovit vino illam vim, qua effluxit. Si vero elevavit quidem, ſed omnino non agitavit nec tetigit, vinum illud licitum eſt.

III. Si Cuthæus tenet vas in ſolo (*vacuum*) eique Iſraëlita infundit vinum, (*Cuthæo vas non movente*,) tum vinum illud licitum eſt. Si vero Cuthæus vas illud motitat, tum vinum vetitum eſt.

IV. Licet Cuthæo transferre vas vini clauſum de loco in locum, quamvis vinum hac ratione commoveatur. Hoc enim modo non ſolet fieri libatio. Si Cuthæus transfert utrem vini (*clauſum*) de loco in locum, os utris manu prehendens, ſive uter fuerit plenus, ſive quid ei defuerit, licitum eſt vinum. Si vero transfert vas teſtaceum apertum, tum ſi vas illud plenum eſt vino, vinum eſt vetitum, forte enim Cuthæus illud tetigit; ſi vero plenum non eſt, vinum illud eſt licitum, ſi (*Judæus Cuthæum comitatus obſervavit ita, ut hic*) non agitaverit vinum.

V. Si

V. Si quis Cuthæus citra intentionem ſuam tetigit vinum, ecce illud vinum tantum uſui (*non vero potui*) licitum eſt, v. g. ſi cadit ſuper utrem vini, aut extendit manum ſuam in dolium, exiſtimans eſſe dolium olei, cum ſit vini.

VI. Si vinum effunditur movente Cuthæo ſine ipſius intentione, quia non tetigit vinum illud, potui conceſſum eſt, v. g. ſi e vaſe vini ſublato aliquid effudit in vas aliud, exiſtimans, illud eſſe zythum vel oleum, tum illud vinum licitum eſt.

VII. Si quis Cuthæus ingreditur domum vel tabernam, ut quærat vinum, extenſaque manu vinum dum quærit, tangit, tum illud vetitum eſt, quia de vino cogitabat, adeoque non dici poteſt tetigiſſe citra intentionem.

IIX. Si quod dolium ſecundum longitudinem ruptum eſt, & Cuthæus illud, antequam ſolvatur, complectitur, ne ſeparentur teſtæ, ecce vinum, quod eo continetur, uſui conceſſum eſt; ſi vero ſecundum latitudinem ruptum eſt, & Cuthæus ſuperiorem teſtam apprehendit, ne deci-

decidat, ecce illud vinum etiam * bibere licet, quia non fuit (*ita ſuſtentatum*) vi Cuthæi, (*ut eo movente fluere potuiſſet.*)

IX. Si quis Cuthæus incidit in lacum vini, & ex eo educitur mortuus, vel ſi lacum vini metiens calamo, vel calamo a ſe removens muſcam aut crabronem (*tangit vinum,*) vel ſi humectat os dolii, in quo vinum efferbuit, ut ille fervor ſubſidat, aut iratus prehenſum dolium in lacum projicit, ecce illud vinum tantum uſui conceſſum eſt. Si vero Cuthæus, (*qui forte in lacum inciderat,*) vivus educitur, vinum uſui interdictum eſt. Si quod dolium in latere habet foramen, amiſſoque de illo foramine epiſtomio, Cuthæus immittit digitum, ne effluat vinum, tum omne illud vinum inde a ſumma parte do-

* *Bibere licet.* Eadem ratio eſt doliorum ligneorum, quæ circulis coërcentur. בחביות של עץ שיש לחם חשוקים צירקאלש בלעז כשנסדק לארכה וחבקה עכות מותרת בשתיה *Si dolia lignea, quæ cincturis, quæ vulgo circuli vocantur, cincta ſunt, rumpuntur, ethnicusque accedens ea amplexu ſtringit, vinum tamen, quod iis continetur, potui licitum eſt. Schylchan Aruch. Jen. Neſetb c. 124 n. 22.*

dolii uſque ad illud foramen * interdictum eſt, quod autem infra foramen eſt, bibere licet.

X. Sipho curvatus, cujuſmodi formari ſolet ex metallo, aut vitro, ſimilique materia, ſi altero pede impoſitus eſt dolio, alteroque pede, qui extra dolium eſt, vinum ſuctu adductum incepit fundere, ut fieri ſolet, Cuthæuſque, dum vinum fluit, accedens digitum admovet exteriori orificio ſiphonis, impeditque hoc modo vinum, ne defluat, vetitum eſt omne vinum, quod eſt in dolio. Omne enim vinum effluxiſſet & ſenſim emanaſſet, niſi manus ejus

* *Interdictum.* Scilicet ſi præſente Iſraëlita, qui alioqui eodem modo jacturam vini impedire potuiſſet, digitum immiſit. Nam ut monet *Moſes Iſarles ad Schylchan aruch cap.* 124. אבל אם לא היה כאן ישראל להציל ובא העכו״ם והצילו הכל מותר בשתייה וכל זה לא מיירו אלא בשהניח ידו על הנקב או כשתחב ברזא שם ואינה עוברת השוליים *Si vero non adfuit Iſraëlita, qui fluxum vini impedire potuiſſet, & ſic acceſſit ethnicus vinumque conſervavit, omne illud vinum etiam potui conceſſum eſt. Valet autem id, quod dictum eſt, tantum de eo caſu, cum manu admota vel inſerto epiſtomio, quod non tranſeat margines foraminis, fluxum impedivit.* Si vero digitum intra vas inſeruit aut longius epiſtomium, valet id, quod docet Autor noſter.

ejus fuiſſet impedimento, adeoque hinc patet, vi movente ab eo admota omne vinum refluxiſſe.

XI. Si quis effundit vinum (*legitimum*) in vas aliud, in quo eſt vinum Cuthæum, tum vetitum eſt omne illud vinum, quod eſt in vaſe * ſuperiori (*ex quo vinum funditur,*) quia ecce columna vini, quod effunditur, connectit vinum, quod eſt in vaſe ſuperiori, cum illo, quod eſt in vaſe inferiori: Propterea qui admetitur Cuthæo vinum in vas ejus, quod manu tenet, immittat ſpargendo vel jaciendo, ne fundendo fiat ejusmodi nexus, quo vetitum reddatur ipſi etiam quicquid reliquum eſt in vaſe ſuperiori.

XII. Infundibulo, quo uſus eſt Iſraëlita admetiens Cuthæo vinum, ſi in extremitate infundibuli adhuc ullus humor vini eſt reſiduus, uti non licet ad vinum Iſraëlitæ admetiendum, niſi ablutum prius & ſicca-

* *Superiori.* Hoc tantum obſervatur, ubi jactura ejus parvi eſt momenti, ut cum quis e cantharo vel poculo vinum effundit, אבל בהפסד מרובה כגון שהוציא מהחבית לכלי שיש בו י״נ מותר *Si vero jactura foret magna, ut ſi quis effunderet e dolio in vas, in quo eſſet vinum libaminis, licitum foret, quod eſt in ſuperiori vaſe. Schylchan aruch Jen neſech. c. 126. n. 2.*

ſiccatum fuerit; ſi vero ablutum non eſt, ecce vinum illud eſt vetitum. Si quod vas, ex quo duo (*naſi ſive*) tubi prodeunt, (cujusmodi tubum habere ſolet guttus, quo ad lotionem manuum utimur,) vino repletum in manu Iſraëlitæ eſt, & Iſraëlita bibit ex altero tubo, Cuthæus autem quis pari modo ſugendo bibit ex altero tubo, ecce hoc licitum eſt, verum hac tantum conditione, ſi Iſraëlita ante Cuthæum bibere cœpit, &, dum ille adhuc biberet, deſiit. Nam cum Cuthæus bibere deſinit, ecce vinum, quod remanſerat in tubo, relabitur in vas, & tum, quicquid in vaſe reliquum eſt, vetitum eſt. Ecce enim vi ab eo admota vinum affluxit.

XIV. Si Cuthæus ſiphone ſuxit vinum e dolio, tum vetitum eſt vinum omne, quod in dolio adeſt. Cum enim ſugere deſinit, vinum, quod ſuctu ejus in ſiphonem attractum fuerat, relabitur deciditque in dolium, & ſic omne vetitum eſt.

XV. Si Cuthæi quidam juſſu Iſraëlitæ transferunt cados vini de loco quodam in alium, ipſeque ſequitur, eos obſervaturus, quamvis vel milliari ab iis diſtet, ecce

 vinum,

vinum, quod cadis illis continetur, licitum eſt. Nam metus ejus illos coërcet, exiſtimantes, eum fortaſſe mox venturum in conſpectum ipſosque viſurum. Si vero ipſis dixit: Ite, ego vos confeſtim ſequar! & hoc facto tamdiu abfuerunt e conſpectu ejus, ut interim potuerint aperire orificium vaſis iterumque claudere, & illud potuerit ſiccefcere, omne illud vinum potui interdictum eſt; Si autem breviori tempore abfuit, licitum eſt.

XVI. Sic & ſi quis Cuthæum in taberna ſua ſolum relinquit, quamvis ipſe Iſraëlita per totum diem ſæpe egrediatur iterumque ingrediatur, vinum tamen licitum eſt. Si vero ipſi indicavit ſe digredi, & poſtea tamdiu emanet, ut Cuthæus interim poſſit aperire dolium iterumque claudere, & orificium poſſit ſiccari, vinum potui interdictum eſt. Sic & ſi quis carro vel navi imponit vinum ſuum præſentibus Cuthæis, digreſſusque in urbem perficit ſua negotia, illud vinum licitum eſt. Si vero indicavit iis ſe digredi, & tamdiu emanſit, dum dolium poſſit aperiri, claudi, iterumque ſiccari, vinum potui interdictum eſt. Sed, omnia hæc, quæ dicta ſunt, intelligere opor-

oportet de vaſis clauſis; ſi vero vaſa aperta ſunt, tum, quamvis non tamdiu emanſerit, poſtquam indicavit Cuthæis ſe digredi, vinum vetitum eſt.

XVII. Si quis Iſraëlita cibum capit cum Cuthæo, appoſitoque in vaſis apertis, ſuper menſa pariterque ſuper abaco, vino, digreditur, tum illud, quod menſæ impoſitum fuerat, vetitum; quod autem abaco, licitum eſt. Si vero dixerat Cuthæo: miſce, bibeque! tum omne vinum, quod in domo eſt in vaſis apertis, eſt vetitum.

XIIX. Si quis cum Cuthæo potans, interea audit vocem precantium in Synagoga, eoque digreditur, tum etiam vinum, quod eſt in vaſis apertis, licitum eſt. Metuit enim Cuthæus, ne Iſraëlita recordatus vini cito redeat, ſeque inveniat vinum ejus tangentem, & propterea Cuthæus non facile recedit a loco ſuo, adeoque nihil amplius vetitum eſt, quam illud vinum ſolum, quod coram eo eſt.

XIX Si quis Cuthæus cum Iſraëlita habitat in eodem conclavi, amboque ſimul propere exeunt ſpectaturi pompam nuptialem vel funebrem, (*aut aliud quid ejusmodi,*) reverſusque prior Cuthæus januam clau-

claudit, Iſraëlita poſtea adveniente, ecce tamen vinum retectum Iſraëlitæ, quod in ædibus eſt, licitum manet. Cuthæus enim eam tantum ob cauſam fores clauſit, quia credidit Iſraëlitam jam tum ingreſſum eſſe, neutrumque foris manſiſſe, cum ei forte viſum fuerit, quod Iſraëlita ſe ingrediendo anteverterit.

XX. Si vinum Iſraëlita ſimul cum Cuthæo in eadem domo habet, idque in vaſis apertis, & Cuthæus (*abſente Iſraëlita*) ingreſſus peſſulum foribus obdidit, omne vinum eſt vetitum. Si vero janua habet feneſtellam, per quam quis pone januam ſtans introſpicere poſſit, tantumque videre, quantum e regione ſitum eſt, tum omnia dolia, quæ ſunt e regione feneſtellæ, licita; ſed a latere ſita dolia ſunt vetita, quia ecce Cuthæus cenſetur metuere adſpectum cujusquam per feneſtellam forte ſpectantis.

XXI. Sic & ſi forte leo rugit, aut aliud quid ejusmodi (*metuendum*) evenit, fugiensque Cuthæus quisquam ſe abdit inter dolia vini aperta, vinum licitum eſt. Exiſtimat enim ibidem alium quemquam, eum-

eumque forte Iſraëlitam latere poſſe, eumque viſurum, ſi ipſe vinum tangat.

XXII. Si quis Iſraëlita habet œnonem doliorum apertorum, Cuthæusque in eodem hoſpitio alia habet dolia, isque inter dolia aperta Iſraëlitæ ſtans forte invenitur, tum ſi conſternatus perplexusque videtur, inſtar furis in furto deprehenſi, vinum illud bibere licet, quia ex timore ejus & terrore patet, non fuiſſe ei otium conſecrandi. Si vero non conſternatur, ut fur deprehenſus, ſed ecce confidenter adſiſtit, vinum vetitum eſt. Infans vero Cuthæus inter dolia deprehenſus, utcunque ſe gerat, vinum licitum eſt.

XXIII. Si quis exercitus (*Cuthæorum*) urbem ingreditur tempore pacis, tum omne vinum, quod in tabernis habetur in doliis apertis, vetitum eſt; quod autem in doliis clauſis habetur, licitum eſt. Tempore autem belli, cum exercitus tendit per urbem, eamque tranſit, vinum, quod utrisque continetur, licitum eſt, quia militibus non eſt otium conſecrandi vinum.

XXIV. Si quis Cuthæus invenitur ſtans ad lacum vini, cui de eo vino aliquid

* debetur, ecce illud vetitum eſt. Superba enim mente accedens admota manu conſecraſſe cenſetur. Si vero nihil ei illic debetur, vinum illud potui conceſſum eſt.

XXV. Si meretrix Cuthæa cum Iſraëlitis accumbit, vinum appoſitum eſt licitum. Metuit enim eos, nec audet vinum conſecrare. Si vero meretrix Iſraëlitica cum Cuthæis accumbit, vinum ejus, quod coram ea eſt in vaſis ejus vetitum eſt, quia illi etiam ** præter ejus voluntatem vinum tangunt.

XXVI.

* *Debetur.* Conferendus tamen eſt monente *Joſeph Karo in Ceſeph miſchne* hic locus cum præcedente *hal.* 22. Nam אם יש לו עליו מלוה פשיטא שאינו נתפס כגנב ואסור ואם אין לו עליו מלוה מותר והוא שיהא נתפס *ſi ei aliquid de illo vino debetur* (v. g. ſi Dominus vini illud fecit hypothecam) *manifeſtum eſt eum non deprehendi ut furem, adeoque vinum vetitum eſt; Si vero gentili iſti de vino nihil debetur*, (quamvis etiam alioqui Iſraëlita ei aliquid debeat, imo & ſolvendi tempus advenerit) *licitum eſt, ſiquidem ut fur deprehenditur.*

* *Præter ejus voluntatem.* En ſolicitudinem & ſanctitatem meretriciam! Ne vetitum vinum bibat, non apponitur ei a Cuthæis, ipſa *ſuum* vinum ſecum affert *in propriis vaſis*, & ſi tactu gentilium polluitur vinum ejus, id fit *præter ejus voluntatem*: ſed ſcortando Legem Dei violare non veretur; usque adeo ad

XXVI. Si quis Cuthæus in domo torcularis invenitur, ibique tantum humoris vini adeſt, ut manus admota poſſit madeſcere, eaque madefacta etiam * humectare alteram, opus eſt abluere totam domum torcularis, eamque iterum ſiccare; Si vero non adeſt tantum humoris, abluitur tantum, eaque mundatio ſufficit.

XXVII. Dolium vini in flumine fluctuans repertum ad urbem, cujus plerique

 incolæ

ad teterrimam etiam plebis fæcem penetravit illa Phariſæorum doctrina de juſtitia, quam culpat Salvator, quod levioris momenti præcepta obſervare ſtudentes *ἀφήκατε τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου. Matth. XXIII, 23.*

* *Humectare.* Eandem quantitatem humoris alii vocant טופח v. g. *Joſeph Karo in Schylch. Ar. tr. Jenneſech c. 129. n. 13. Si adeſt illic* טופח על מנת להטפיח quas voces ita exponit *Moſes Iſarles:* פי' טופח שהמשקה אשר ע"ג הכלי או ע"ג הארץ הוא כשעור שיעשה לחה היד הניגעת בו ופי' ע"מ להטפיח שהמשקה הוא שעור יותר גדול שיד הנעשית לחה במגעו החזור ותעשה לחה גם היד האחרת *Vox* טופח *ſignificat, quod humoris, qui vel in vaſe, vel ſuper terra eſt, tantum adeſſe debeat, ut poſſit madefacere manum, quæ eum tangit; Voces autem* על מנת להטפיח *ſignificant, quod etiam major quantitas humoris adeſſe debeat, ſcilicet ut manus ejus contactu humectata, cum alteri manui admovetur, etiam eam ſuo contactu humectare queat.*

incolæ ſunt Iſraëlitæ, uſui conceſſum eſt; ad urbem vero, cujus plerique incolæ ſunt Cuthæi, vetitum eſt.

XXIIX. Loco, ubi plerique œnopolæ Iſraëlitæ ſunt, inventa dolia majora vino repleta, id eſt, ejusmodi dolia, in quibus vinum aſſervari ſolet a ſolis œnopolis, uſui licita ſunt. Vinum in dolio, quod fures aperuerunt, ſi plerique fures in urbe (*aut ſaltem famoſiores*) ſunt Judæi, etiam potui conceſſum eſt; ſi non ſunt, vetitum eſt.

CAPUT XIII.

De vino Iſraëlitico, quod Ethnicus quocunque modo habuit in ſua poteſtate, deque uſu non capiendo ex vino vetito.

SI quis emit vel conducit locum in atrio Cuthæi, eumque vino replet, tum modo ipſe Iſraëlita in eodem atrio habitet, vinum illud, quamvis janua nonnunquam ſit aperta, licitum eſt. Cuthæus enim perpetuo accedere veretur, ſecum cogitans: forte jam Iſraëlita ſubito domum redibit, & ſic me intra ſuas ædes deprehendet. Si vero habitat in alio atrio,

non

non licet illi de œnone egredi, niſi obſeratis foribus ejus ſecum habeat clavem & ſigillum ; nec ſolicitus eſt, ne forte Cuthæus ſibi clavem domus hujus adulterinam comparet.

II. Si egreſſus Iſraëlita non clauſit fores, vel clauſit quidem, ſed clavem reliquit in manu Cuthæi, (*commendata ſcilicet ei cuſtodia domus,*) ecce vinum illud potui interdictum eſt. Fortaſſe enim Cuthæus ingreſſus vinum conſecravit, cum Iſraëlita illic non adeſſet. Si vero, cum clavem traderet, hujusmodi verbis uſus eſt: aſſerva, ſodes, hanc clavem, dum redeo; tum vinum licitum eſt. Non enim ei commiſit cuſtodiam domus, ſed tantum cuſtodiam clavis.

III. Si quis Cuthæus mercede conducit Iſraëlitam, ut calcet ſibi vinum legitime, ita ut poſſit eſſe licitum Iſraëlitis, illudque ab eo emere poſſint, vinumque illud in ædibus ſuis Cuthæus habet, tum ſi ille Iſraëlita, qui cuſtodit vinum ejus, in eodem atrio habitat, vinum licitum eſt, quamvis nonnunquam janua ſit aperta, & Iſraelita cuſtos interdum intus, interdum foris ſit. Si vero cuſtos ille in alio atrio habi-

habitat, vinum vetitum eſt, quamvis & clavis & ſigillum ſit in manu Iſraëlitæ. Quandoquidem enim vinum pertinet ad Cuthæum, & in ejus poteſtate eſt, non metuit adulterare (*clavem & ſigillum,*) ut ingrediatur domum, ſecum dicens: Quid tum poſtea, ſi vel Iſraëlita illud agnoverit, nec amplius populares ejus a me ement vinum?

IV. Etiamſi apocha ſcripta teſtatus fuerit Cuthæus, ſe Iſraëlitæ accepta pecunia vendidiſſe vinum, quia tamen Iſraëlita non poteſt * auferre vinum e poteſtate ejus, niſi (*re ipſa*) ſolutis prius nummis, ecce illud adhuc eſt vinum Cuthæi, adeoque vetitum, niſi habitaverit cuſtos in eodem atrio, ubi adeſt vinum. Cæterum non tamen opus eſt, ut ille cuſtos Iſraelita perpetuo domi deſideat vinumque cuſtodiat, ſed poteſt interdum domi eſſe, interdum

* *Auferre vinum.* Imo ſi vel depoſitum eodem modo eſſet penes alium Ethnicum, quam qui vendidit, niſi perpetuus quis cuſtos adſit, vetitum foret: Et eousque adeo accurate cuſtodiendum eſt, donec non ſit amplius in poteſtate Ethnici. Hæc eſt circa ejusmodi vinum regula generalis ſub finem c. 5. *Avoda Sara:* Fol. 61. c. 2. כל רשות נכרים אחת היא *Eodem res recidit in cujuscunque etiam alienigenæ poteſtate ſit vinum.*

terdum foris, quemadmodum expoſuimus, ſive vinum ſit in poteſtate (*Cuthæi*) ejus, ad quem pertinet, ſive in poteſtate Cuthæi alius.

V. Si vinum illud mundum Cuthæi poſitum eſt in loco publico, aut in domo, quæ aperta eſt verſus locum publicum, in quo frequenter verſantur Iſraelitæ, licitum eſt. Nondum enim (*prorſus*) cenſetur eſſe in poteſtate privata Cuthæi.

VI. Latrina, feneſtra & * palma, licet fructu careat, eandem habet rationem, ac locus

---

* *Palma.* Habet rationem loci publici, ut & feneſtra Judæi aperta verſus oſtium domus, ubi vinum aſſervatur. Quod attinet ad feneſtram, facile cauſa patet; nimirum quia veretur Ethnicus, ne Iſraëlita videat ſe vinum tangentem; itemque de palma, quando fructus ſuos habet, facile patet, quod vereri poſſit Ethnicus, ne Iſraëlita forte legendorum fructuum ergo in palmam aſcenderit, ſeque de ſublimi videre queat. Sed de palma fructibus carente, quamvis alii diſſentiant, idem tamen ſtatuit Autor noſter, quia palma non ſolum fructuum legendorum cauſa conſcenditur, ſed hæc arbor pluribus uſibus inſervit. טעמא דשרי מפני שהוא מתירא שמא יעלה עליו לצורך תשמיש אחר ויראנו משם *cauſa, quare licitum faciat palma etiam fructu carens vinum, hæc eſt, quia veretur Ethnicus, ne forte aſcenderit Iſraëlita palmam alius cujuscunque uſus ergo, eumque inde videre poſſit, ut expoſuit Joſeph Karo in Ceſeph Miſchne.*

locus publicus. Et ſi vel Cuthæus reperiatur juxta cadum vini, qui aſſervatur apud ejusmodi locum, vinum tamen non redditur vetitum ejus præſentia; & domus aperta verſus ejusmodi locum eandem rationem habet, ac ſi aperta eſſet verſus locum publicum.

VII. Si atrium diviſum eſt * pariete humili, & in altera parte Cuthæus, in altera Iſraëlita habitat, aut ſi duo tecta ſunt, (*ſeu duæ contignationes*,) ita ut in ſuperiore Iſraelita, in inferiore Cuthæus habitet, aut ſi juncta habent latera, & tantum pariete humili * dirimuntur, quamvis Cuthæus manu ſua pertingere poſſit ad eam partem, quæ eſt Iſraëlitæ: non tamen propterea Iſraelita ſolicitus eſt, ne Cuthæus vinum ejus vel faciat vinum libaminis, vel contactu ſuo quicquam polluat.

VIII.

* *Pariete humili.* מסיפים *Buxtorfius* in Lexico exponit *parietem perforatum ſ. plenum feneſtris*, ſic quoque *Philippus Aquinas* in Lexico כותל חלול ר״ל שיש בו חלונות הרבה *Paries perfoſſus, in quo ſunt multæ feneſtræ.* Malui tamen autoritatem Raſchi ſequi; is ad *Avoda Sara f.* 70. *col.* 2. hanc vocem exponit מחיצה נמוכה עם הארץ *paries humilis prope terram*; Probabile tamen eſt, parietis perfoſſi eandem eſſe rationem.

VIII. Iſraelita poteſt licite committere gentilibus vinum ſuum in dolio clauſo, ita nimirum, ut in eo vaſe duo habeat ſigna, id eſt, quod vocamus * ſigillum intra ſigillum, v. g. ſi quis claudit dolium vaſe (*i. e. operculo,*) non firmiter adhærente, quemadmodum omnes facere ſolent, & deinde juncturas oblinit luto, hoc vocatur ſigillum unum; Si vero vas (i. e. operculum) firmiter adhæret, illudque deinde ſuperne oblinit, illud vocatur ſigillum intra ſigillum. Item, ſi quis conſtringit os utris, illud eſt ſigillum unum, ſi vero os utris introrſum convertit, & tum utrem conſtringit, ecce hoc eſt ſigillum intra ſigillum. Et ſic quæcunque demum mutatio, per quam res aliter fit, quam vulgo fieri ſolet, eſt ſicut ſigillum unum, & linimentum vel colligatio eſt ſigillum alterum.

IX. Si Ethnico commiſit vinum ſuum uno tantum ſigillo clauſum, ecce illud vetitum eſt potui, uſui vero licitum, idque ſi

* *Sigillum intra ſigillum.* Sedes hujus doctrinæ eſt in *Avoda Sara* cap. 2. fol. 31. ubi vid. quæ docte, ut ſolet, commentatur G. E. Edzardus pag. 422.

ſi Ethnicus ei * peculiarem angulum in cella aſſignavit.

X. Vinum coctum, & zythum, & vinum mixtum alia re, v. g. melle, & oleum, itemque acetum, caſeum & lac, & quicquid vetitum fieri poteſt ex verbis ſcribarum, ſi quis committit gentilibus, non opus eſt duobus ſigillis firmare, ſed unum ſolum ſigillum ſufficit. Si quis vero Ethnico committit vinum, carnem, ſegmentum piſcis, non habens ſigna, (*i. e. ſquamas & pinnas*,) duobus ſigillis opus eſt.

XI. Videtur mihi, quod, quotieſcunque diximus in hac tractatione de vino noſtro, quod illicitum fiat potui, licitum vero uſui, propter contactum, quo contigit illud gentilis, illud tantum de eo caſu ſit intelligendum, quando ille gentilis eſt idololatra: Si vero videretur eſſe factum illicitum, propterea quia gentilis, qui non colit idola, v. c. Iſmaelita (*i. e. Muhammedanus*) contigiſſet vinum noſtrum citra intentionem, aut impellendo ** effudiſſet ultra

* *Peculiarem angulum.* Hoc quoque ex tractatu Avoda Sara c. 2. petitum eſt.

** *Effudiſſet.* Expoſui hanc vocem ſub finem c. XII.

ultra os dolii, ecce illud nihilominus potui foret licitum, idem valet de ſimilibus.

XII. Si quis vero vinum committit proſelyto inquilino, aut ejus miniſterio aliquo mittit, & ipſe diſcedit, aut ſi relinquit domum ſuam apertam verſus atrium proſelyti inquilini, ecce vinum ejus fit vetitum potui. Videntur enim mihi omnes gentiles eſſe eodem modo ſuſpecti de adulteratione & permutatione, quandoquidem vinum, quod quacunque demum ratione fuit in eorum poteſtate, potui interdictum eſt.

XIII. Sunt quædam res, quæ omnino non ſunt vetitæ propter libationem, quas tamen ſapientes prohibuerunt, ut tanto magis abſtineamus ab eo, quod eſt libatum, cujusmodi ſunt: Ne miſceat Ethnicus aquam vino, quod manu ſua tenet Iſraëlita, ne nimirum eveniat unquam, ut etiam vinum infundat aquæ: item ne afferat Ethnicus uvas ad torcular, ne nimirum eveniat aliquando, ut etiam calcet vel tangat: item ne adjuvet Iſraëlitam transfundentem e vaſe in vas, ne forte eveniat, ut Iſraelita vas relinquat in manu Ethnici, ita ut vinum eo vergente

 fluat,

fluat. Si vero juverit, aut infuderit aquam, aut attulerit uvas, ecce id licitum eſt.

XIV. Eodem modo poteſt Ethnicus licite admovere nares dolio vini noſtri & ejus odorem excipere, & licet Iſraelitæ odorem vini libaminis e dolio naribus excipere, nec illud ullo interdicto vetitum eſt. Odor enim pro nihilo habetur, quia nihil in eo eſt palpabile.

XV. Jam ante expoſui, quod ſi qua res vetita eſt uſui, & quis interdicto hoc violato eam vendit, pecunia tamen ita acquiſita uti liceat, præter idola & quæ ad miniſterium eorum pertinent, & ſacrificia illorum, & vinum, quod illis libatum eſt. Sapientes vero gravitatem hujus interdicti extenderunt etiam ad vinum gentilium ſimplex, ut pecunia, quæ eo acquiritur, æque ſit interdicta, ac quæ vino, quod idolis libatum eſt. Itaque ſi quis Ethnicus mercede conducit Iſraelitam, ut ſecum laboret circa vinum, ejus merces vetita eſt.

XVI. Sic quoque ſi quis (*ethnicus*) conducit aſinum ad vectandum eo vinum, aut navem ad vectandum ea vinum, merces eorum eſt vetita: ſi nummos locanti dederint ethnici, deportandi ſunt illi in

mare

mare ſalſum: ſi vero loco mercedis ei dederunt veſtimenta, vaſa aut fruges, oportet eum ea comburere, cineremque defodere, ne ullum inde uſum capiat.

XVII. Si quis locat ethnico aſinum ad equitandum, ethnicus vero ei imponit lagenam vini, merces ea, quæ ſolvitur, tamen licita eſt. Si quem vero ethnicus conducit ad frangendum cados vini libaminis, merces ejus licita eſt, & a Deo quoque accipit benedictionem, quia imminuit id, quod eſt idololatricum.

XVIII. Si quis operario dicit: Transfer mihi centum cados zythi, & ſolvam tibi centum prutas, & deinde unum horum doliorum invenitur eſſe dolium vini, tota ejus merces vetita eſt.

XIX. Si vero ipſi dixit: Transfer mihi dolia, pro ſingulis ſolvam tibi prutam: eaque transfert, & inveniuntur quædam eorum eſſe dolia vini, tum merces, quam pro doliis vini accepit, eſt vetita, reliqua vero merces eſt licita.

XX. Si quis ethnicus operariis Iſraelitis loco mercedis mittit dolia vini, licet iis reſpondere ei: Da nobis argentum, quanti ea veneunt. Si vero id dicunt, poſtquam

vinum in eorum pervenit poteſtatem, vetitum eſt.

XXI. Si quis Iſraëlita ab ethnico exigit minam, quam ei dedit mutuam, & ethnicus abit venditque idolum vel vinum libaminis, pretiumque eorum Iſraëlitæ affert, ecce illud licitum eſt; Si vero antequam vendat ea, dicit: Exſpecta paululum, donec vendam quod habeo idolum vel vinum libaminis, & afferam tibi argentum, imo ſi vel foret ſimpliciter vinum illius gentilis, quod venderet, pretiumque ejus afferret, ecce hoc foret vetitum. Iſraëlita enim tum vult illius (*idoli aut rei idololatricæ*) exiſtentiam, ut inde ſolvat ethnicus debitum ſuum.

XXII. Sic quoque proſelytus, qui cum ethnico inivit ſocietatem lucri, quando res eo pervenit, ut lucrum inter ſe dividant, non poteſt dicere ethnico: Tolle tu idolum, & ego argentum ſumam! Tolle tu vinum, & ego accipiam fructus! Vult enim tum illius exiſtentiam, ut accipiat æquivalens ei pretium. Sed ſi proſelytus & gentilis adeunt hæreditatem patris ſui amborum gentilis, poteſt proſelytus ei dicere: Tolle tu idolum, & ego accipiam

num-

nummos! Tolle tu vinum, & ego accipiam oleum! Eſt hoc privilegium, quo donarunt proſelytum in herciſcunda hæreditate, ne per apoſtaſian ad priſtinam idololatriam redeat. Si vero proſelytus ita dicere vellet, poſtquam idola & vinum in ejus pervenerunt poteſtatem, illud foret vetitum.

XXIII. Si Iſraëlita vendens ethnico vinum ſuum, determinavit pretium, antequam ei admenſus ſit vinum, illa pecunia eſt licita: Poſtquam enim determinatum eſt pretium, mens ejus conſentit, & quando ad ſe recipit, emit: vinum autem non fit vinum libaminis, antequam ethnicus illud tangat. Itaque quo tempore vinum vendebatur, erat licitum. Si vero admetitur ethnico vinum, antequam determinaverit pretium, pretium illud eſt vetitum. Nondum enim mens ementis conſentit, quamvis ad ſe recipiat, itaque, quando jam tetigit, nondum conſentit mens ejus ad retinendum, & vinum factum eſt vetitum contactu illius, ergo ita vendens idem factitat, ac ſi vinum tale, quod eſt ſimpliciter vinum gentilium, venderet.

XXIV. Hæc de eo caſu dicta ſunt, quando Iſraëlita admenſus eſt ethnico vinum in vaſe ſuo proprio: Si vero ei admetitur in vaſe gentilis, vel in vaſe quidem ſuo, ſed quod gentilis ſua manu tenet, oportet primum accipere pecuniam, & deinde admetiri. Si vero admenſus fuerit, neque ante acceperit pecuniam, quamvis determinaverit pretium, pecunia tamen illa vetita eſt. Quamprimum enim vinum contigit illud vas, factum eſt vetitum, quemadmodum eſt illud vinum, quod eſt ſimpliciter vinum gentilium.

XXV. Qui dat pecuniam cauponi ethnico, dicitque operario ſuo ethnico: I, bibe & es de hujus cauponis, quod ego ei acceptum referam, is caveat, ne operarius bibat vinum. Tum enim eodem res recideret, ac ſi emeret vinum libaminis, illudque ei bibendum præberet: Idem interdictum valet de proventu anni ſeptimi. v. g. Si quis pecuniam dedit cauponi Iſraëlitico de vulgo, dicitque operario ſuo Iſraëlitæ: I, comede, & ego cauponi, quod abſumpſeris, acceptum referam. Si enim operarius hac ratione comederet aliquid, de quo non perſolutæ forent decimæ illud foret vetitum.

XXVI. Si vero dicit: Edite & bibite de denario hoc; vel ſi dicit illis: Edite & bibite meo ſumptu apud hunc cauponem, cui ego ſolvam, quamvis caupo in ejus ære foret, quia tamen non determinatur hæc ejus obligatio, hoc licitum eſt: neque ſolicitus eſt dominus, ne vel accipiant vinum libaminis, vel * fructus anni ſeptimi, vel illud, quod non eſt decimatum.

P 4 XXVII.

* *Fructus anni ſeptimi.* Deus quidem Lev. XXV, 6. jura anni ſeptimi deſcribens, permittit, ut de illis frugibus, quæ ſponte naſcuntur, comedat & ipſe agri dominus & ejus familia & jumenta & pauperes. Judæorum tamen magiſtris viſum eſt neceſſarium, ut certis legibus adſtringeretur illa libertas, מפני עוברי עבירה שלא ילך ויזריע התבואה וקטניות וזרעני גינה בתוך שדהו בסתר וכשיצמח יאכל מהם ויאמר ספיחים הן *propter transgreſſores, ne quis clanculum in agro ſuo ſeminet frumentum & ſiliquas & ſemina hortenſia, & quando progerminaverint, iis veſcatur, & dicat ea eſſe ſponte nata. Majmon. Schmitta. c. 4. h. 2.* Itaque tantum veſci permittunt fructibus arborum, & illis herbis, quæ plerumque ſine cultu humano naſcuntur. Itemque frumentis natis in agro inculto, novellato, inter vineas ſito, vel eo, qui ad ſementem adhibetur. Imo illis fructibus non licet ſecundum eos veſci toto anno, neque in uſum eos recondere per integrum annum; ſed tantum tamdiu iis veſci licet, & tamdiu domi ſuæ aſſervare, quamdiu ejusdem generis fructus adhuc in agro reperiuntur.

Circa

XXVII. Si quis Rex * diſtribuit vinum ſuum inter populum, & pro eo pretium poſcit,

Circa collectionem tamen illud obſervandum eſt, quod non liceat eam eodem modo facere ac aliis annis, ne fiat vindemia & meſsis, quod prohibitum eſt *Lev. l. c. v.* 5. ſed ſingulatim tantum colligere; uvas non exprimere in torculari ſed in mactra, oleas non in trapeto ſed in exiguo torculari, ficus non ſiccare in ſolario, ſed in alio loco calido &c. quod non liceat ſepimento claudere vel vineam vel oleam, ut nata uſui pauperum cedant. Quod, quando non amplius in agro aderant fructus anni ſeptimi, eos etiam domi ſuæ non licuerit amplius aſſervare, ſed removendi fuerint, quæ remotio vocatur בִּיעוּר, id fiebat hac ratione, ut diſtribueret illos egentibus, quiſquis eos domi ſuæ collegerat, ſi vero non inveniret tot egentes, ut poſſent in eos tribus prandiis conſumere, cremandi erant fructus reliqui igne, vel in mare projiciendi. aut alio quocunque modo corrumpendi. Idem de nummis valebat: Quod ſi quis fructus quosdam anni ſeptimi collectos vendendo aliquid pecuniæ acquiſiviſſet ad ſuam ſuſtentationem, licebat illa pecunia uti, quamdiu ejus generis fructus in agro reperiebantur (cujuscunque provinciæ de tribus hisce Galilæa, Peræa & Judæa) quando vero in nulla harum regionum amplius illi fructus in agro reperiebantur, nummi erant projiciendi in mare ſalſum. v. *Scheviith c.* 9. *p. t. Majmon. Tr. Schmitta cap.* 7. *&c.*

* *Diſtribuit.* R. Abraham ben David putat, hanc expoſitionem autoris noſtri eſſe confuſam & indiſtinctam. Ita enim ille hanc traditionem obſervari vult: מלך שיש לו מס על העם לתת לו יין

poſcit; qualecunque vult, ne dicat quis (*Judæus*) ethnico: Ecce tibi ducentos

P 5 Zu-

יין כל אחד לפי מה שהוא ויש על זה הישראל כור אחד של יין שהוא מאה דינרים (ita enim legit autor *Migdal Os*, cum forte lectio, quæ in textum R. Abrahami irrepſit, שמונה דינרים ſuam originem debeat incuriæ typographi, qui ubi ſcriptum fuit ק legit ח ut & Autor Ceſeph miſchne eundem errorem erravit,) לא יאמר לגוי ט״ל מאה דינרין ועול תחתי לאוצר המלך שהוא כאילו אמר לו קנה לי כור ופרעהו לבשבילי למלך אבל אומר לו מלטני מן האוצר דמשמע סלקני במעות האלו כלומר קבל אתה עליך חוב המלך ויהיו אלו מעות שלך׃ i. e. *Si quis Rex ejusmodi tributum imperare ſolet populo, ut ſinguli pro facultatibus ſolvant ei aliquid vini, & Iſraelitæ alicui imponitur tali caſu, ut ſolvat ciſternam vini dignam denariis centum, non poteſt dicere ethnico: Accipe centum denarios, & pro me ſolve fiſco regio; Hoc enim idem foret, ac ſi diceret: Eme mihi ciſternam vini (ethnici), & ſolve meo nomine Regi; ſed dicit ei: Libera me a fiſco, i. e. ſubduc vel liberum me fac his nummis, quaſi diceret: Accipe in te debitum illud, quod Regi ſolvere teneor, & ſic hi nummi erunt tui.* Controverſia hæc verſatur circa legitimam expoſitionem loci occurrentis in *Avoda Sara c.* 5. quem circa etiam diſſentiunt Autores Toſaphot a Raſchi. Sed R. Abraham ſententiam Raſchi ſuam facit: Autores vero Toſaphoth cum Majmonide conſentiunt: Utraque ſententia ſuam

Zuzæos, ut mei loco ingrediaris (*ad accipiendum vinum*) de fiſco regio, ut ſic ethnicus accipiat vinum, quod aſſignatum eſt Iſraëlitæ, & ſolvat ethnicus pretium ejus Regi: ſed Iſraëlita ei dicere poteſt: En tibi ducentos Zuzæos, ut liberes me a fiſco.

XXVIII. Si quis ethnicus tangit vinum Iſraëlitæ eo fine, ut vetitum illud reddat, & ſic ei damnum inferat, licet vinum illud vendere eidem ethnico, qui illud reddidit vetitum, non vero alii; cum enim ethnicus hic habuerit intentionem ei nocendi & faciendi vinum ejus vetitum, hoc habet eandem rationem, ac quando qui aliquid perfregit aut combuſſit, tenetur damnum præſtare, & ſic nummi, quos ab eo accipit, ſunt nummi pro damno, non autem venditionis.

ſuam habet probabilitatem; Si tamen alterutra foret eligenda, eam, quam proponit Autor noſter, judicarem alteri præferendam. Quia vinum Regis eſt vinum gentilium ſimplex; ſi vero Judæus ipſe habet vinum, æque videtur tributi nomine illud Regi ſolvere poſſe, ac vendere alii. *conf. H. XXIII. bujus cap.*

CAP. XIV.

CAPUT XIV.

De menſuris ciborum vetitorum, de comeſtione ſine fruitione ſaporis, de pita & bulimia, de interdictis variis, quæ inter ſe conjunguntur.

QVicunque cibi ſunt Lege vetiti, eorum menſura eſt oliva mediocris, ſecundum quam judicatur, an, qui comedit, reus factus ſit plagarum, vel excidii, vel mortis divinitus infligendæ. Jam ante autem expoſuimus, quod, quicunque comedendo factus eſt reus vel excidii, vel mortis divinitus infligendæ, ille vapulet.

II. Hæc menſura æque ac omnes aliæ menſuræ, eſt traditio Moſaica de monte Sinai. Prohibitum quidem Lege eſt comedere quantulumcunque rei vetitæ, ſed qui comedit, non vapulat, niſi tantum comederit, quantum eſt oliva. Qui vero comedit totum aliquid, quod eſt minus quam oliva, plectitur plagis ob rebellionem.

III. Ab ea menſura ejus quod eſt, quantum oliva, excipitur illud, quod inter dentes

dentes adhæreſcit. Si quid autem ad gingivas adhæreſcit, illud ei accenſetur, quod deglutivit. Ecce enim palatum ejus guſtavit, quantum eſt oliva. Item, ſi quis comederit, quantum eſt dimidium olivæ, & poſt evomerit illud, iterumque devoraverit idem illud, quod habet dimidiæ olivæ magnitudinem, quod evomuerat, ille reus eſt. Non enim reus eſt, niſi palatum ejus guſtaverit rei vetitæ tantum, quantum eſt dimidium olivæ.

IV. Si quis, quantum eſt oliva, adipis vel cadaveris vel carnis ſacrificii vitiatæ, aut reliquiarum, in ſole collocat, ut ita calore minuatur ejus quantitas, & tum comedit, liber eſt, ſi vero iterum collocat in pluvia, ut ita humore diſtendatur, reus fit propter ejus comeſtionem excidii aut plagarum. Si vero ab initio minus fuit oliva, & ita diſtentum eſt, ut jam olivam æquet, vetitum quidem eſt, ſed qui comedit, non tamen vapulat.

V. Supra jam expoſuimus, quod, quæ in Lege habentur interdicta, non conjungantur inter ſe ad conficiendum quantum eſt oliva, præter carnem cadaveris, quæ ita accenſeri poteſt carni diſcerpti, &

ea, quæ Naziræo interdicta ſunt, quæ exponentur ſuo loco: Item de quinque ſpeciebus frugum farinæ earum & paſtæ earum inter ſe commiſcentur ad conſtituendum, quantum eſt oliva, vel quoad interdictum novarum frugum ante oblatum manipulum, vel quoad interdictum decimarum ſecundarum & oblationum.

VI. Mihi videtur, quod cauſa, quare interdictum decimarum & oblationis inter ſe conjungantur, ſit, quia comprehenduntur communi nomine in voce טבל (*i. e. frumentum, cujus ablationes & decimæ nondum ſunt ſeparatæ*). Itaque ſimilis hic eſt ratio, qualis in eo, quod cadaver ovis, cadaver bovis, & cadaver capreæ &c. inter ſe conjungantur, ut cenſeatur vetitum id, quod quis comedit, habere magnitudinem olivæ, quemadmodum expoſuimus.

VII. Si quis comedit de re vetita integras dapes, non toties reus eſt plagarum aut excidii, quot partes olivam æquantes fuerunt in ipſius dapibus, ſed toto epulo unum reatum contraxit: Si vero teſtes eum commonuerunt inter comedendum, quoties-

quotiescunque quantum eſt oliva comedit, toties reus eſt, quoties fuit admonitus, quamvis ſit unum tantum epulum, nullumque fecerit intervallum.

VIII. Si quis comedit de quacunque demum re vetita, quantum eſt granum hordei vel ſinapis, & paullum moratus iterum comedit quantum eſt granum ſinapis, & ſic pergit usque, donec comederit quantum eſt oliva, ſive errore ſive data opera: Si inde ab initio comeſtionis ad finem tantum temporis ſpatium interceſſit, quantum requiritur ad comedendum tria ova, omnia, quæ comedit, ſibi invicem accenſentur, & ecce ille reus eſt excidii, aut plagarum, aut ſacrificii, perinde ac ſi una eademque vice comediſſet, quantum eſt oliva. Si vero hæc comeſtio inde a principio ad finem diutius duravit, quantumvis nullum comedendo intervallum fecerit comedens, ſed unam particulam grano ſinapis magnitudine parem poſt alteram comederit, quia tamen non abſolvit comeſtionem tot ejusmodi particularum, quot æquant olivam, hæ particulæ non cenſentur inter ſe jungi, & quia eas

non

non abſumpſit intra ſpatium temporis, quo comedi poteſt *פרס, impunis eſt.

IX. Sic

*פרס. Cum menſura illa, quæ vocatur פרס frequenter admodum & a Talmudicis & ab aliis Legum Judaicarum Doctoribus adhibeatur, non tamen iidem omnino inter ſe conſentiunt, de hujus menſuræ quantitate. Præcipuæ ſententiæ (ſicco enim pede eam, quæ eſt de ſeſquiovo, prætereo,) ſunt duæ, nimirum *Majmonidæ noſtri*, qui hac voce denotari putat tantum, quantum ſunt tria ova, & *Raſchi*, qui putat tantum denotari, quantum ſunt quatuor ova. Hic mentem ſuam exponit & alibi & in *Comment. ad Cetubboth.* fol. 62. col. 2. שהככר של שלש לקב שמונה בצים הוא שהקב כ"ד בצים ארבעה לוגים הציה של ככר ארבעה בצים *Tracta enim panis, cujusmodi tres fiunt ex cabo uno, continet menſuram octo ovorum. Cabus enim habet ova viginti quatuor ſive quatuor logos: ergo dimidium hujus panis, par eſt quatuor ovis.* Derivatio hæc Raſchi videtur apta & rei conveniens, quod nimirum Peras a frangendi vel dividendi ſignificatione deducatur, & ſic ſignificet dimidiam partem panis alicujus. Quod porro ille panis, cujus dimidia pars ſit Peras, talis ſit, cujusmodi tres fiunt ex uno Kabo, fundamentum habet in verbis R. Simeonis, qui in *Miſchna Eruvin cap.* 8 *m.* 2. ejusmodi panum mentionem facit ככר משלש לקב quam menſuram idem R. Simeon ubique in miſchna retinet. Autor vero noſter ſequitur ſententiam R. Jochananis f. Bruka, ſecundum quem loco citato eſt deciſio, nempe quod duæ סעורות (*quod nomen idem valet, quod* פרס *ſ. quan-*

IX. Sic & ſi quis bibit quartarium ſimplicis vini gentilium paulatim vel humore aliquo diluit fermentum in Paſchate, aut liquefacit adipem, & ſic paulatim abſorbet, aut ſanguinis aliquid paulatim bibit; Si mora temporis interceſſit ab initio

---

ſ. quantum homini in victum unius diei ſufficit,) ſint ככר בפונדיון נור כאין בסלע *tracta panis pro obolo, quando quatuor ſata frumenti conſtant ſiclo.* Nempe ſiclus habet viginti quatuor nummos & quatuor ſata continent viginti quatuor Kabos. Nummus autem המעה שני פונדיונים *continet duos obolos*, itaque qui obolo venit panis, foret par quantitate duodecim ovis. Sed hic obſervandum eſſe monet *Gemara h. l.* itemque ex ea *R. Obadias:* והחנוני לוקח חחצי לשכר האפיה והטחינה נמצא ככר הלקוח מן החנוני בפונדיון הוא רובע קב שהם ו׳ בצים *quod piſtor ſibi retineat dimidiam partem in mercedem pro coctura & piſtura. Sic itaque invenitur, quod panis, qui emitur obolo a piſtore, ſit quarta* (non vero tertia) *pars Kabi, i. e. habeat quantitatem ſex ovorum.* ad h. l. Itaque, quando in Gemara mentio fit *Peras*, caute, obſervandum eſt; quis loquatur, nam per totam Gemaram R. Jochanani & ceteris *Peras* ſignificat tria ova; R. Simeoni per totam Gemaram *Peras* ſignificat quatuor ova: Quem ſenſum verborum *R. Obadiæ* utroque loco non convenienter expoſuit *Surenhuſius* in ſua verſione: *Idque per omnia perfecte ſe habet.* Itaque Autoris noſtri menſura firmiore talo nititur, quam ea, qua uſus eſt Raſchi.

tio hujus bibitionis usque ad finem, quanta requiritur ad bibendum quartarium (*i. e. menſuram ſeſquiovi,*) omnes hæ ſorbitiones ſibi invicem accenſentur, ſin plus temporis, ſibi invicem non accenſentur.

X. Niſi quis eo modo, ut voluptatem perciperet, comederit, quamcunque rem vetitam, propter ejus eſum non fit reus, præter carnem in lacte coctam & heterogenea vineæ, quia de iis non adhibetur vox comeſtionis, ſed Moſes interdictum comeſtionis earum alia voce protulit, nimirum de carne in lacte adhibuit vocem *coquendi*, & de heterogeneis vocem *ſanctitatis*, ut indicaret, ea eſſe vetita, quantumvis quis ex eorum comeſtione nullam perciperet voluptatem.

XI. Verbi gratia, ſi quis liquefaceret adipem, eumque abſorberet, dum adhuc ferveret, ita ut adureret guttur, aut comederet adipem crudum, aut ſi vino libaminis immiſceret res amaras, cujusmodi ſunt cicuta & abſinthium, aut carni cadaveris, quam in olla haberet, eamque comederet, dum ita eſſet amara. Aut ſi comederet rem vetitam jam putrefactam & putentem; quæ jam inepta eſſet cibo hominis,

ecce ille foret impunis. Si vero ejusmodi rem amaram immiſceret carni, quam in olla haberet in lacte coctam, aut heterogeneis vineæ, illudque comederet, ecce is foret reus.

XII. Si quis rem quamcunque de eſui interdictis comedit per jocum vel aliud agendo, quamvis non in animo habuerit ipſam comeſtionem, quia tamen inde voluptatem aliquam percepit, reus eſt æque ac is, qui data opera comedit. Fruitio vero, quæ obtingit homini invito, cujuscunque rei vetitæ, ſi animum ad eam intentum habuit, vetita, ſi non habuit, licita eſt.

XIII. Qui cibum vetitum comedit propter appetitum aut ad explendam famem, reus eſt. Si quis vero in deſerto aberrans nihil habet, quod comedat, præter rem vetitam, ecce tum licet eam comedere propter imminens alioqui a fame vitæ periculum.

XIV. Si qua mulier gravida odore percepto rei vetitæ: v. c. carnis ſacræ vel carnis porcinæ, eam appetit, præbent ei jurulentum illud, quod huic carni adeſt, ſi pica ejus hac ratione ſedatur, bene eſt; Si non

non ſedatur, comedendam ei præbent particulam carnis minorem menſura (olivæ). Si nec ea data appetitus ejus quieſcit, præbent ei, quantum libet, donec pica ejus acquieſcat.

XV. Eadem ratione, qua cum gravida, agendum eſt cum ægroto, ſi is odore perceptam rem vetitam, in qua eſt acetum aut aliud quid ejusmodi appetentiam excitans, concupiſcit.

XVI. Si quis * bulimia corripitur, ei

ſtatim

Bulimia. Quale genus morbi hoc ſit, exponit *Majmon. in Comm. in Joma c. 8. m. 6.* בולמוס מין ממיני החולאים שנופל בו האדם ואינו מרגיש כלל וזה החולה הוא מין ממיני החלאום הנקראים בלשון חכמים נכפין ויארע לאלו הנזכרים בכאן כמו נשיכה בפי האסטומכה וכשיאכלו יקל מעליהם ויאורו עיניהם: *Bulimia eſt ſpecies quædam de ſpeciebus morborum, in quam qui incidit homo, ſenſibus uti nequit omnino. Eſt vero hic morbus de ſpeciebus illis, quas vocant ſapientes ſua lingua* נכפין. *Evenit autem iis, de quibus hic ſermo eſt, tanquam morſus in ore ſtomachi; ſed quando cibum capiunt, morbus pellitur, & lucidi fiunt oculi eorum.* Illud de oculis lucidioribus exponitur a Raſchi ad h. l. כשמראיתו חוזרת בידוע שנתרפא *quando viſus ejus redit, certum eſt, quod ſanatus ſit.* Quousque

ſtatim ingeri poſſunt etiam res vetitæ, donec lucidiores fiant ejus oculi, nec præſentes inde tranſeunt ad res licitas, ſed properant ei ingerere, quicquid præſto eſt. Præbent autem ei primo res leviore interdicto vetitas, ſi his abſumptis lucidiores fiunt ejus oculi, bene eſt; ſi non, præbent ei res etiam graviore interdicto vetitas.

XVII. Verbi gratia, ſi præſto eſt proventus, cujus ablationes & decimæ nondum perſolutæ ſint, & cadaver; prius ipſi apponendum eſt cadaver, quia pœna mortis propoſita eſt comedenti fruges, de quibus nondum ſeparatæ ſunt ablationes & decimæ: Si adeſt cadaver & ſponte ſine cultura enatæ anno ſeptimo fruges, prius ei apponuntur hæ fruges, utpote quæ tantum verbis ſcribarum ſunt vetitæ, quemadmodum

que autem viſus ei reſtituendus ſit, patet ex *Gemara Bab. ad h. l.* מנין הוו יודעין שיאירו עיניו משיבחין בין טוב לרע *unde norunt, quod illuminarint oculos ejus? inde, quando novit facere diſcrimen inter bonum & malum.* Hodierni medici in bulimo ſive orexi canina, *cibis, quos anxie appetunt patientes, non ſtatim præſentibus, lypothimicis affectibus eos corripi,* docent, ſed in ea re differunt a Talmudicis noſtris, quod ſtatuant eos *in certum aliquem cibum impetuoſo affectu rapi.* Juncker. Conſp. Medic. Tab. C.

dum exponam in tractatu Schmitta (*ſ. de anno Sabbathico:*) ſi adſunt fruges, quarum decimæ & ablationes nondum ſunt ſeparatæ, & adſunt quoque fruges anni ſeptimi, prius præbentur fruges anni ſeptimi. Si adſunt fruges, quarum ablationes & decimæ nondum ſunt ſeparatæ, & adſunt quoque aliarum frugum ipſæ ablationes, tum ſi non ſuppetit tempus, ut ante ſeparari poſſint ablationes & decimæ, frumentum, de quo nondum ſeparatæ ſunt, ægroto primum apponendum eſt, quia illud minus ſanctum eſt, quam ipſæ ablationes. Eodem modo res habet in cæteris, quæ ejusdem ſunt generis.

XVIII. Jam ante expoſuimus, quod nullum interdictum cum altero coincidat, niſi duo interdicta una eademque actione lædantur, aut alterum additamenti inſtar ad alterum accedat, aut alterum ſit generale: propterea fieri poteſt, ut quis rei vetitæ, quantum eſt oliva, comedens propterea reus ſit vapulandi quinquies, idque ſi deciſio fit ſecundum quinque interdicta, quæ in una eademque actione concurrerunt. v. g. Si quis immundus comedit

dit * die expiationis de adipe reſiduo ex ſacrificiis, vapulat, quia comedit reſiduum de ſacrificiis, quia comedit die expiationis, quia cum immundus eſſet comedit rem ſacram, quia fruitus eſt re ſacra, & hoc modo ** prævaricatus eſt.

XIX.

* *Die expiationis.* Objici poſſet, quod cibi die expiationis vetiti menſura ſit non oliva ſed palmula. *Joma c.* 8. *m.* 2. האוכל ככותבת הגסה כמוה וכגרעינתה *ſi quis comedit, quantum eſt palmula craſſior cum grano ſuo.* Sed quamvis quis minorem quantitatem comedendo non fiat reus excidii, fit tamen reus pœnæ.

** *Prævaricatus eſt.* Quia hæc vox latina voci hebraicæ מעל in multis aliis locis reſpondet, ideoque uſu receptum eſt apud eos, qui Hebræorum ſcripta in latinam linguam convertunt, ut hanc vocem jubeant etiam habere ſignificationem, quam מעל quidem apud Hebræos habet, ſed *prævaricari* apud Latinos habere non ſolet, nimirum, *ex re ſacra uſum quemcunque profanum capiendi.* De hoc peccato integer extat tractatus Talmudicus, itemque totum etiam tractatum ſcripſit *Majmonides noſter*, qui illud hoc modo deſcribit כל הנהנה בשוה פרוטה מקדשי השם מעל *Si quis ex rebus Deo ſacris uſum capit vel unica pruta dignum, ille prævaricatus eſt*, i. e. commiſit illud peccatum, quod dicitur מעילה *Tract. Meila c.* 1. *b.* 1. Qui ita peccaverat, ſolvere tenebatur pretium illius rei, qua abuſus fuerat, addita quinta parte, v. g. ſi viginti prutis dignum eſſet id, quo abuſus erat, debebat

XIX. Quare autem hic interdictum unum cum aliis coincidit? Quia pecudis illius adeps fuerat ante conſecrationem eſui interdictus, ſed uſui conceſſus, poſtquam vero conſecrata eſt, adeps ejus etiam uſui eſt interdictus, quia igitur acceſſit inter-

bebat ſolvere 25. prutas. Ita enim in ejusmodi caſibus cenſetur quinta pars, ut ſumma pretii dividatur in quatuor partes, & his quatuor partibus addatur pars, quæ ſit tanta, quanta eſt una quarta totius pretii, & deinde ſolvat ſacrificium pro delicto, quod eſt aries; eratque hoc אשם ודאי *ſacrificium pro delicto certo*. Lev. V, 15. 16. Quando ceperint res, quæ conſecrabantur, ita eſſe ſacræ, ut qui iis utebatur, committeret *Meila*, & quamdiu fuerint obnoxiæ huic peccato, & Autor noſter & Miſchna l. c. docet prolixe. Ceterum eodem res redit, an ita quis abutatur rebus conſecratis altari, an vero rebus conſecratis ad templi reparationem. בין מקדש מזבח בין מקדשי בדק הבית. Imo & ex decreto ſapientum victima temerata imo & pecunia deſtinata ad uſum aliquem ſacrum obnoxia eſſe poteſt prævaricationi. Et hoc eſt illud peccati genus, quo Phariſæi teneri *quemcunque* (etiam ipſos Parentes) putabant, ſi fruerentur quacunque re interdicta ſibi etiam a filio ſuo hac formula: Sacra eſto tibi hæc res! ut *Majmonides* docet in *Meila* c. IV. h. 9. 10. 11. האומר לחבירו ככרי עליך הקדש וחזר ונתנה לו המקבל מתנה זו מעל לכשיוציא שהרי הנותן אינה אסורה עליו *Si quis proximum ſuum ita alloquitur: Panis meus eſto tibi res ſancta, & poſtea*

interdictum uſus, acceſſit etiam interdictum rerum conſecratarum (*quod non abolet prius interdictum.*) Hactenus autem adeps iſte licet homini interdictus ſit, aptus tamen erat, qui adoleretur in altari; dum autem ſit pars reſidua ſacrificii, adeoque accedit ei interdictum adolendi in altari, vetitus etiam propterea fit homini. Ipſi comedenti, quamdiu mundus fuerat, licebat comedere carnem hujus pecudis, non autem adipem. Cum vero factus ſit immundus, vetita eſt ei etiam caro, adeoque interdicto adipis illud novum acceſſit. Cum vero accedat præterea dies expiationis, quo omnes in univerſum cibi ſunt

---

& poſtea ei dat eum panem, qui accipit donum, ille commiſit peccatum Meila, quam primum panem abſtulit: Danti autem panis ille vetitus non eſt. &c. Itaque Servator eos hanc ob rem objurgat, quod ea ratione putent ne quidem filium ſalva conſcientia poſſe præbere parentibus victum, ſi aliquando iis dixerit קרבן עליך מה שאתה נהנה משלי cum potius docere debuiſſent, quod male juratum eſt, pejus ſervari, & Deum non coli ejurando charitatem parentum vel proximi, ὑμεῖς δὲ λέγετε. ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρί. δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα. *Matth. XV, 5. Raſchi ad Lev. V, 15.* docet ſignificationes omnes vocis מעל denotare שנוי ſ. permutationem aliquam.

ſunt vetiti, quia igitur tum etiam cibi profani vetiti ſunt, accedit interdictum etiam hujus adipis. Idem judicium eſt de ceteris ſimilibus.

CAPUT XV.

De re vetita cibo licito vel ejusdem vel alius ſpeciei immixta.

SI qua res vetita miſcetur rei licitæ diverſæ ſpeciei, guſtu dijudicandum eſt, an rei licitæ ſuum ſaporem communicaverit. Si vero res vetita mixta eſt rei licitæ ejusdem ſpeciei, cum guſtu utraque diſcerni nequeat, e quantitate judicandum eſt, an res licita tanto ſuperaverit copia vetitam, ut hæc prorſus negligi queat.

II. V. c. Si adeps renum incidit in halicam, totaque eo pinguefacta eſt, guſtanda eſt halica, quæ ſi non habet ſaporem adipis, licita eſt; ſi vero habet ſaporem adipis, adipisque etiam ſubſtantia in ea reperitur, vetita eſt ex Lege; ſi vero ſaporem quidem adipis habet, ſubſtantia vero adipis in ea non reperitur, vetita eſt verbis ſcribarum.

III. Quod adſit ſubſtantia adipis, ſignificat nobis h. l. quod ſingula tanta halicæ,

quantum capiunt tria ova, tantum adipis ſibi mixtum habeant, quantum eſt oliva. Si quis itaque de hac halica tantum comedit, quantum capiunt tria ova, tum is, quia in iſta halica, adipis quod olivam æquaret, aderat, vapulat (*loro ex Lege*). Nam & ſapor rei vetitæ & ipſa ejus ſubſtantia aderat. Si quis vero minus comedit, quam quantum tria ova capiunt, verberibus afficitur ex verbis ſcribarum (*fuſte*). Sic & ſi in illo mixto minus adeſt adipis, quam ut ſingula tanta, quantum capiunt tria ova, habeant adipis, quantum eſt oliva, tum licet halica ſaporem adipis habeat, & quis vel integram ollam ejusmodi halica refertam exederit, non tamen vapulat (*loro*), ſed verberibus ob rebellionem plectitur.

IV. Si adeps renum incidit in * adipem caudæ, & uterque liquatur, duploque plus adipis caudæ adeſt, quam adipis renum, tum tota hæc mixtura ex Lege licita eſt, imo ſi vel particula una cadaveris mixta ſit duabus partibus carnis de pecude legitime

* *In adipem caudæ.* Nimirum adeps caudæ, quamvis in Scriptura vocetur adeps, non tamen eſt eſui interdictus. *vide ſupra c. VII.*

time mactata, totum illud ex Lege licitum eſt: Sed verbis ſcribarum totum vetitum eſt, niſi tanto plus adfuerit rei licitæ quam vetitæ, ut hæc propter parvitatem ſuam negligi poſſit, nec amplius cenſeri queat eſſe pars alicujus momenti, cujus ſpecies remaneat, ut mox explicabitur.

V. Quantum autem oportet adeſſe rei licitæ, ut vetita ei mixta propter parvitatem ſuam negligatur? Id æſtimandum eſt ex menſura illa, quam dederunt ſapientes; Eſt enim res vetita, quæ ſexaginta tantis partibus rei licitæ mixta negligitur. Eſt & quæ centum partibus mixta, eſt quoque quæ ducentis.

VI. * Invenimus hanc doctrinam, quod omnia, quæ Lege vetita ſunt, ſive ſub pœna plagarum, ſive ſub pœna excidii, ſive quorum etiam uſus vetitus eſt, ſi immixta fuerint cibo licito, diverſæ ſpeciei æſtimatio fit inſtituenda eo reſpectu, num ſaporem præbeant, ſi vero ejusdem ſpeciei, ubi nimirum guſtus differentiam indicare nequit, negligantur, ſi id, cui immixta ſunt

* *Invenimus. Chullin c. VII. f. 97. Avoda Sara f. 73. col. 2. Scheviith c. 7. fol. 42. col. 2. & alibi.*

ſunt, ſexagies, vel centies, vel ducenties plus eſt. Præter vinum libaminis propter gravitatem peccati idololatriæ, & præter fruges, quarum ablationes & decimæ non ſunt ſeparatæ, quia nimirum ſeparari poſſunt. Ideoque ſi miſcentur ſuæ ſpeciei, faciunt totum vetitum, ſi diverſæ ſpeciei, faciunt vetitum id, in quo ſapor eorum deprehendi poteſt, ſicut reliqua interdicta.

VII. V. c. Si quotcunque demum dolia vini liciti effuſa fuerint ſuper unicam guttam vini libaminis, totum fit vetitum, ut expoſitum eſt. Sic & ſi poculum vini, cujus ablationes & decimæ non ſunt ſeparatæ, mixtum fuerit integro dolio alius vini, totum fit ejusmodi vinum, donec ſeparet quis ablationes & decimas, quales ſeparandæ ſunt de mixtura, quemadmodum explicabitur ſuo loco.

IIX. Fructus anni ſeptimi, quamvis ſi immiſceantur alii cibo vel potui ejusdem ſpeciei, cujus ſunt, faciant totum ſibi par, ſi vero diverſæ ſpeciei, tum id faciant, quando guſtando agnoſci poſſunt, non tamen ſunt inter ea, quæ Lege vetita ſunt. Nam illa mixtura non eſt vetita, ſed eum, qui

qui comedere vult eam, oportet comedere ea ſanctitate, quæ competit fructibus anni ſeptimi, quemadmodum ſuo loco explicabitur.

IX. Fermentum in Paſchate, quamvis Lege vetitum ſit, tamen hisce regulis non comprehenditur, quia id, quod fermentum ſibi habet mixtum, non perpetuo manet vetitnm. Peracto enim Paſchate, id, quod fermento mixtum eſt, fiet licitum, quemadmodum expoſuimus, itaque (*fermentum in Paſchate*) vetitum facit quemcunque cibum, cui miſcetur, ſive ejusdem ſive alterius ſpeciei.

X. Idem quoque jus obtinet circa proventum novum immixtum proventui veteri ante oblationem manipuli. Is enim hunc facit vetitum, quantumcunque etiam ſit id, cui immixtus eſt: quia licitum fieri poteſt. Oblato enim manipulo totum fit licitum: idque valet de quacunque re, quæ licita fieri poteſt, illa etiam, quæ verbis ſcribarum vetita eſt. Sic de interdicto ejus, quod * ſeparatum vel non deſtinatum eſt,

* *Separatum.* Locus, ubi ficus vel alii fructus panduntur, dicitur מוקצה, & v. g. *ficus ita pandere* vocatur

eſt, ejusque, quod * natum eſt die feſto, ſapientes nullam menſuram præſcripſerunt,

catur לקצות תאנים *Maaſeroth. c. 2. & c. 3. ſæpe.* אם יש להם עליו מזונות אוכלים אחת אחת מן התאנה אבל לא מן הסל ולא מן הקופה ולא מן המוקצה *Si ipſe* (Dominus, operariis mercede conductis) *cibum præſtare tenetur, comedere quidem poſſunt ficus de arbore decerptas ſingulas, ſed non de corbe, neque de caniſtro, neque de tabulato, cap. III. m. 2.* quia nimirum ſolarium, in quo exponuntur fructus, eos diſponit ad decimas. Hic vero מוקצה multo ampliorem habet ſignificationem. Denotat enim omne illud, quod a cibo ſeparatum eſt, ea intentione, ut nondum comedatur, illud autem, licet die feſto comedere non liceat, licet tamen alio die comedere, adeoque poteſt peracto feſto fieri licitum. In hac ſignificatione occurrit vox מוקצה *in Tract. Beza f. I. col. 1.* Majmonides eam illic exponit in *Comment. ad l. c.* המוקצה אסור לאכלו ביום טוב ומוקצה הוא הדבר שהפרישו מאכילה ונתכון עליו שלא לאכלו: *Vetitum eſt comedere die feſto id quod vocatur* מוקצה, *illud vero vocatur* מוקצה *quod ſepararunt a comeſtione, & de quo poſſeſſor habuit intentionem illud non comedendi.*

* *Natum die feſto.* Tractatus Talmudicus Beza denominatur ab ea quæſtione, quæ ſtatim in principio *Cap. I.* occurrit: ביצה שנולדה ביום טוב ב"ש אומרים תאכל ובית הלל אומרים לא תאכל: *De ovo, quod natum eſt die feſto, dicit domus Schammaj comedi illud poſſe eodem die; Domus vero Hillel negat*

runt, ſed vel unica menſura ejus quotcunque millibus menſuris cibi liciti immixta non

negat eodem die comedi poſſe. Non modo illud valet de ovo, ſed de quacunque re, quæ præter intentionem eſui apta facta eſt eo die. *Majmon. l. c.* extendit etiam hoc interdictum Hillelianum ad fructus: והנולד הוא הדבר שיאסר ביום טוב מה שלא חשב עליו כמו הפירות הנובלות מן אילנות *natum* (ſc. die feſto,) *quod eſt eo die, vetitum eſt id quod præter opinionem obvenit, ut ſunt fructus, qui de arbore decidunt maturescentes.* Nec enim heri poterat quis cibo hodierno deſtinare ovum hodie naſciturum, adeoque eatenus נולד יום טוב *quod feſto* die natum eſt, convenit cum מוקצה *non deſtinato.* Eſt vero aliquid adhuc amplius, quod facit, ut v. g. *ovum* feſto natum ſit eo die vetitum: Nimirum ne feſtum illud ſequatur die proximo poſt ſabbathum. Si enim ita res haberet, cibus ille, qui caperetur feſto, præparatus foret ſabbatho in uſum feſti, id quod foret contra dignitatem ſabbathi, qua omnibus feſtis antecellit: Itaque ne id fiat in eo caſu, ideo omnino prohibitum eſt comedere v. g. ovum quocunque feſto natum, eodem die quo natum eſt. Judæi enim putant v. g. ovum, quod hodie natum eſt, heri eſſe perfectum; pomum, quod hodie cadit, heri maturuiſſe: omnes vero dies oportere inſervire honori ſabbathi, non vero ſabbathum honori alius diei. Id *Majmonides l. c. probare laborat* ex verbis his: Exod. XVI, 6. *Erit autem die ſexto, ut parent, quod intulerint.* Quod ita applicat ad rem præſentem: כי הביצה הנולדה היום מאתמול נגמרה בשיחול יום טוב אחר שבת ונולדה ביום

non negligitur. Eſt enim ratio, per quam ejusmodi res fieri poſſint licitæ, v. c. * ſanctificatum decimæ ſecundæ.

XI. Sed de fructu arboris præputiatæ, de heterogeneis vineæ, de adipe & ſanguine, & ſimilibus, item de ablationibus non præſcripſerunt menſuram: quia nulla eſt ratio, per quam hæc fieri poſſint cuivis homini licita.

XII. Mihi videtur, quod etiam res, quæ licita fieri poteſt, ſi immixta fuerit rei diverſæ ſpeciei, ita tamen, ut ſaporem ſuum ei non communicarit, non faciat eam vetitam. Id quod fieri poteſt licitum, non erit graviore interdicto vetitum, quam fruges, quarum ablationes & decimæ nondum ſunt ſeparatæ, quippé quæ fieri poſſint licitæ ſeparando ſeparanda, illæque tamen, ſi cibo alius ſpeciei fuerint mixtæ, tum demum cenſentur eum feciſſe vetitum, ſi ſaporem ſuum ei communicarunt.

ביום טוב אסורה מפני שהשבת הכינה אותה. *Ovum enim, quod hodie naſcitur, heri perfectum eſt, itaque ſi incidit feſtum poſtridie ſabbathi, ovumque natum eſt die feſto,* (eo die) *vetitum eſt, ſabbathum enim præparavit illud.*

* *Sanctificatum.* In agro, poteſt redimi pecunia, ſc. argento ſignato, ſic & decimæ ſecundæ.

runt. Et ne mireris diverſam eſſe rationem fermenti in Paſchate. Lex enim dixit: *Nihil fermentatum comedetis*, Exod. XII, 20. Itaque tanto gravius fecerunt hoc interdictum, ut expoſuimus.

XIII. Hæ autem ſunt menſuræ, quas præſcripſerunt ſapientes: Ablatio, & ablatio decimarum & placenta & primitiæ negliguntur, quando accedunt ad eam rationem, quam habet unitas ad numerum centenarium, & ex ea mixtura oportet ſeparare ablationem, & ſibi invicem accenſentur. Sic & fruſtum panis propoſitionis miſtum fruſtis panis communis aſcendit ad eam rationem, quam habet unitas ad centenarium numerum, v. g. Satum farinæ de quadam harum ſpecierum, vel ſatum farinæ de his omnibus mixtæ, ſi incidit in ſatum farinæ profanæ, totumque inter ſe miſcetur, auferre oportet ex toto mixto ſatum farinæ pro illo ſato, quod inciderat, tum quod reliquum eſt, cuilibet homini eſt licitum. Si vero incidit in farinæ minus quam centum ſata totum factum eſt * Teruma (i. e. ablatione) mixtum.

XIV.

* *Teruma mixtum*. Illud, quod ablationem ſive Terumam ſibi habet mixtam, vocatur מדומע a nomine

XIV. Præputiatum & heterogenea vineæ adſcendunt ad eam rationem, quam habet unitas ad numerum ducenarium, & inter ſe commiſcentur, nec opus eſt inde demere ablationem, v. g. quartarius vini vel de præputio vitium, vel de vitibus vineæ, in qua ſunt heterogenea, aut ſi quartarius fuerit vini utriusque generis mixti, ſi inciderit in ducentos quartarios vini, totum eſt licitum, & omnino non opus eſt inde ſeparare ablationem. Si vero incidit in

דמע quod apud Judæos æquipollet voci תרומה v. *R. Salomon ad Exod. XXII*, 29. qui ibidem fatetur, cauſam hujus ſignificationis ſibi eſſe ignotam. Sed accurate & erudite ex lingua Samaritana, in qua דמע quandoque æquipollet voci hebraicæ חלב demonſtravit *Guiſius ad Tractat. Demaj.* c. I. m. 3. Ceterum illud, quod ita mixtam ſibi habebat ablationem, ut ablatio plus eſſet quam centeſima pars ejus, a ſolis ſacerdotibus comedi poterat, adeoque iis erat vendendum vel donandum: המדומע סאה של תרומה שנפלה לפחות מ״ק סאין חולין ונעשו כולן מדומע אסורים לזרים ופטור מן חלה: *Id quod dicitur Medammah h. e. ſi v. g. ſatum Terumæ ſ. ablationis incidit in minus, quam centum ſata vulgaris cibi, tum totum cenſetur Teruma mixtum, vetitumque eſt alienis,* (i. e. iis, qui non ſunt Sacerdotes,) *neque obnoxium eſt præcepto de placenta ſeparanda. Bartenora ad Challa c. I. m.* 3. adeoque ſatis magna & notabilis eſt differentia inter illud, quod eſt טבל & id quod eſt מדומע.

in minus vini, quam ut ſit ejus ducenteſima pars, omne fit non modo potui, ſed & uſui interdictum.

XV. Quare vero opus eſt ſeparare ablationem de eo, cui immixta eſt Teruma, & non opus eſt ſeparare de eo, cui immixtum eſt de præputiata vite, & inter heterogenea ſtante, ortum vinum? Quia ablatio eſt reditus Sacerdotum. Itaque in quascunque ablationes Sacerdotes jus non habent, ut ablationes * ſiliquarum dulcium Edomiticarum, (*ſi mixtæ fuerint alii cuicunque rei*) inde non opus eſt ſeparare ablationem.

* *Siliquarum Edomiticarum.* Extant hic tres voces Hebraicæ, quas omnes propter defectum latinarum vocum diſtincte ſignificantium una voce *ſiliquarum* reddidi. Prima eſt כליסים quam audacter admodum & temere *Guiſius* impugnat in notis ſuis ad *Terumoth c. XI. m. 4.* mendi inſimulans & omnia loca & omnes codices miſchnæ. Mavult enim legere בלפסים per ב ut reſpondeat voci Arabicæ *caprificum* ſignificati. Sed legitur illa vox per כ non modo hoc noſtro tempore, ſed & lecta ita fuit a Majmonide, Bartenora, Raſchi aliisque. Quod ad ſignificationem attinet, habet equidem Guiſius conſentientem ſecum Majmonidem, qui ad locum Miſchnæ allegatum כליסים dicit eſſe ſpeciem ficuum, cujus etiam autoritatem loco citato *Bartenora* allegat. *Raſchi* ad *Terumoth*, itemque *Philippus Aquinas*

XVI. Quare autem duplicem poſuerunt menſuram ejus, cui miſcetur præputiatæ arboris fructus, vel vitis inter-heterogenea creſcentis? Quia illi ſunt etiam uſui vetiti: Quare vero in eo, quod ſibi habet

Aquinas in Lexico contenti ſunt dicere, quod ſit ſpecies fructuum. Sed *ad Okezim* c. I. m. 6 *Bartenora* dicit eſſe מין קטנית ſpeciem ſiliquarum, & ad eundem locum *R. Schimſchon* non modo notat eſſe *ſpeciem ſiliquarum*, ſed & addit, *dici* צוררא בל"עז *Zorera lingua vernacula*: Quæ vox num adhuc apud Gallos vel Germanos in uſu ſit, mihi quidem ignotum eſt. Sed *Raſchi ad Chullin c.* 3. *f.* 67. *col.* 2. exponit eſſe ſpeciem ſiliquarum, quæ lingua vernacula צידראש *Zidras appelletur. Buxtorfius* hoc putat ſonare cicer: forte alterutra vox ex ceratii nomine depravata eſſe poteſt.

Altera vox חרובין citra dubium *ſiliquam dulcem* denotat, & in ea ſignificatione adhuc adhibetur apud Arabes, nempe خرّوب frequenter etiam in Talmude occurrit; Græci quoque recentiores ſiliquam *χαρȣ̃βαν* vocant.

Tertia vox שעורין quin poſſit adhiberi ad denotandum ſpeciem ſiliquarum dubitare nos non ſinit locus *Schabbath. c.* 21. *m. ult.* ubi Raſchi eam exponit: שרביטין של קטנית שהקטנית גדל ברם *folliculos* ſ. *στέμφυλα leguminum, in quibus legumina creſcunt.* Plinius imprimis duarum ſpecierum facit mentionem, quarum alteram ſiliquam Ægyptiam, alteram Syriacam vocat, de quibus varia commentatur *Salmaſ. Exerc. Plin. in Solin. p.* 326. & *Hyles Iatricæ p.* 112. *ſq.*

habet mixtam ablationem, adeo confidenter determinarunt de centeſima parte? Quia ablatio decimæ eſt una * centeſima pars, eaque quamdiu adeſt, totum facit ſanctum; dicitur enim Num. XIIX, 29. *Sacram partem ejus de eo.* Itaque dicunt ſapientes: Si ea res, quam per ablationem ſeparaſti a fructibus, iis iterum miſcetur, eas ſanctificat.

XVII. Omnium reliquarum rerum Lege vetitarum, v. c. carnis abominabilium, & reptilium, & adipis, & ſanguinis, & ſimilium menſura eſt proportio ſexageſima, v. c. ſi quantum eſt oliva, adipis renum, incidit in ſexagies quantum eſt oliva, adipis caudæ, totum eſt licitum; ſi incidit in minus quam ſexagies tantum, omne eſt vetitum: Sic quoque ſi incidit adipis quantum eſt granum hordei, oportet, ut illic adſit tantum adipis, quantum hordei ſunt ſexaginta grana, idemque valet de reliquis etiam interdictis. Sic & ſi adeps nervi reſoluti inciderit in ollam carnis, menſu-

* *Centeſima.* Nempe decimarum decimæ, quas Levitæ ſolvebant ſacerdotibus, vocantur תְּרוּמַת מַעֲשֵׂר: At decimæ pars decimæ eſt centeſima. Et ſic hoc argumentum Autoris noſtri eſt tantum a notatione deſumptum.

menſuratur ad proportionem ſexageſimam, ita ut his ſexaginta partibus non annumeretur adeps nervi. Et quamvis adeps hic nervi luxati tantum verbis ſcribarum vetitus ſit, quemadmodum expoſuimus; quia tamen nervus reſolutus eſt res aliqua peculiaris, (*de adipe ejus*) fecerunt æque grave interdictum, ac ſunt illa, quibus res quæquam Lege vetita eſt. Cæterum (*ſi ipſe nervus inciderit in rem aliquam licitam,*) non menſuratur ejus proportio ad eam rem, in quam incidit, neque vetitam eam facit. Nervi enim rei, cui miſcentur, ſuum ſaporem communicare non ſolent.

XVIII. Si vero uber coctum fuerit cum carne, æſtimatio fit ad proportionem ſexageſimam, ita ut uber ſit una ex hiſce ſexaginta partibus; quia nimirum uber verbis tantum ſcribarum vetitum eſt, ut * ſupra docuimus, ideoque hoc interdictum fecerunt levius, quoad menſuram.

XIX. Si in ovo inveniatur pullus, illudque ovum coctum fuerit cum ovis licitis, ſi fuerit coctum cum ** ſexaginta uno ovis aliis,

* *Supra.* i. e. cap. IX.
** *Sexaginta uno.* Unitas addita eſt, quia ovum unum altero majus eſſe ſolet.

aliis, illa ſunt licita: Si cum ſexaginta tantum, omnia ſunt * vetita, quia pullus in ovo eſt res quædam peculiaris, itaque hoc interdictum fecerunt notabile addita unitate in proportione.

XX. Si autem ovum avis immundæ coctum fuerit cum ovis avis mundæ, ** non facit ea vetita. Si vero quis ova contriverit inter ſe, aut mixtum fuerit ovum avis immundæ aut avis diſcerptæ cum ovis aliis, menſurantur ſecundum proportionem ſexagecuplam.

XXI. Unde autem probarunt ſapientes menſuram iſtam ſexagecuplam? Quia ecce illud, quod elevatur de ariete Nazirgei, quod eſt armus, eſt ſexageſima pars de reliquo corpore arietis, quod ſimul coquitur, nec tamen vetitam facit reliquam carnem.

* *Vetita.* Id valet non modo de ovis, quæ fracto putamine cocta ſunt, ſed etiam de iis, quæ cocta ſunt putamine integro, docente *Baal Hatturim in Jore Dea* n. 86. בֵּיצָה שֶׁיֵּשׁ בָּהּ אֶפְרוֹחַ אוֹ דָם אוֹסֶרֶת הַמִּתְבַּשֵּׁל עִמָּהּ אֲפִילוּ אִם אֵינָהּ קְלוּפָה *Ovum, in quo eſt pullus vel ſanguis, vetitum facit id, quod ſimul cum eo coquitur, etiamſi tectum adhuc ſit ſuo putamine.*

** *Non facit ea vetita.* Nimirum ſi coctum ſit in putamine, ut recte monet *Jore Dea l. c.*

nem. Dicitur enim Num. VI,19. *Et accipiet Sacerdos armum coctum de ariete.*

XXII. Si ſpecies aliqua immiſcetur ſpeciei ſuæ & rei diverſæ inter ſe conjunctis v. c. ſi in olla aliqua fuerint fabæ freſæ ſimul cum adipe caudæ, & inciderit in eam adeps renum, totumque ſimul liquefactum fuerit, factumque unum corpus. Tum adeps caudæ & fabæ freſæ cenſentur quaſi conſtituere unum corpus, & menſuratur, quæ ſit proportio adipis renum ad adipem caudæ & fabas freſas ſimul. Si fuerit tantum una ſexageſima pars, cibus hic licitus eſt; hic enim ex guſtu judicium fieri non poteſt.

XXIII. Idem quoque valet de ablationibus, ſi immiſcentur rei licitæ, quoad proportionem illam ſuam centeſimam, & de heterogeneis vineæ aut vino vitis præputiatæ, quoad proportionem eorum ſexageſimam.

XXIV. Quando menſurantur vetita quæcunque (*licitis*) immixta, ſive proportione ſexageſima, ſive centeſima, ſive ducenteſima, menſuræ huic accedit etiam juſculum & condimenta & quæcunque demum ſunt in olla, & quicquid abſorpſit olla,

poſt-

poſtquam incidit illud, quod erat vetitum, ſecundum probabilem conjecturam; fieri enim non poteſt, ut præciſe & accurate determinetur, quantum abſorpſerit.

XXV. Vetitum eſt data opera efficere, ut Lege vetita ſint pars aliqua totius negligenda. Si vero quis id fecit, res ita mixta eſt licita. Sapientes tamen pœna affecerunt ita agentem, totumque illud mixtum declararunt vetitum. Sed mihi videtur, quod quando reus pœna afficitur, non prohibeant hanc mixturam alii, quam illi peccatori tantum, qui fecit eam partem negligendam: Sed unicuique alii res ejusmodi tum cenſeri poſſet licita.

XXVI. V. c. Si inciderit ſatum vini de vite præputiata, in centum ſata alius vini, & ſic omne vinum factum eſt vetitum, non licet affundere centum ſata alius vini & miſcere ei, ut vinum vitis præputiatæ habeat eam rationem, quam unitas ad numerum ducenarium. Si quis autem hoc interdictum transgreſſus ita fecerit, totum eſt licitum: Sed in illis rebus, quæ verbis ſcribarum vetitæ ſunt, data opera efficere licet, ut res vetita licitæ mixta fiat pars totius tantilla, ut negligi poſſit.

XXVII. V. c. Si lac incidit in ollam, in qua eſt * caro avis, ita ut ſaporem ſuum miſceat ſapori carnis, addi ei poteſt tantum alius carnis avium, donec ſapor non amplius deprehendi poſſit, idem valet de ceteris.

XXVIII. Supra expoſuimus, quod ſi res vetita communicet ſaporem ſuum rei licitæ, totum ſit vetitum: Id eo caſu valet, quando res vetita immixta ſaporem rei licitæ reddidit præſtantiorem. Si vero res illa vetita rem licitam reddidit ** deteriorem, & ejus ſaporem corrupit, ecce tum licita manet. Idque ſi ab initio ad finem ſaporem reddidit deteriorem. Si vero initio quidem ſaporem reddidit deteriorem, ſub finem vero meliorem; vel initio quidem meliorem, ſub finem vero deteriorem, ecce tum hæc mixtura vetita eſt.

XXIX Quis autem guſtabit mixturam? Si ablatio fuerit mixta cibis communibus, guſtat *** Sacerdos; ſi ſapor ablationis fuerit

* *Caro avis.* Autor noſter ſupra cap. IX. docuit, carnem avis in lacte coquere non eſſe vetitum Lege divina, ſed verbis ſcribarum.

** *Deteriorem.* Ex Avoda Sara f. 67. col. 2.

*** *Sacerdos.* Vide quæ notavi ad hujus cap. h. XIV.

fuerit noſcibilis, totum cenſetur Teruma mixtum: in tractatu vero de ablationibus explicandum eſt, quid tenendum ſit de cibo communi Teruma mixto.

XXX. Si vero fuerit caro in lacte cocta, aut vinum vitis præputiatæ, aut heterogenea vineæ, quæ inciderunt in mel, aut caro abominabilium vel reptilium cocta cum olere aut ſimilibus, hæc prægustat ethnicus, & Iſraëlita nititur ejus reſponſo. Si dicit: nullus eſt huic cibo ſapor, aut: ſapit quidem, ſed male ſapit, & ecce ſaporem corrupit quod admixtum eſt, tum omne eſt licitum. Idque, quemadmodum expoſuimus, ſi id, quod admixtum eſt, ne quidem ſub finem ſaporem reddit meliorem. Si vero nullus ethnicus adeſt, qui velit vel poſſit guſtare, metiuntur ſecundum menſuram cujusque rei vetitæ, vel ad proportionem ſexageſimam, vel centeſimam, vel ducenteſimam.

XXXI. Si mus incidit in zythum aut acetum, menſurandus eſt ille liquor, num muris magnitudinem ſexagies æquet; verendum enim eſt, ne forte mus zythi aut aceti ſaporem reddat præſtantiorem. Si vero incidit in vinum, aut oleum, aut mel,

licitum

licitum eſt, etiamſi guſtando agnoſci poſſit mus incidiſſe, quia is ſapor horum liquorum ſaporem reddit deteriorem. Illi enim omnes gratum odorem & ſaporem habere debent, mus vero facit ut fœteant, eorumque ſaporem reddit deteriorem.

XXXII. Si quis hædum (*pinguem*) cum adipe ſuo (*vetito*) aſſat, vetitum eſt comedere vel extremam auriculam ejus; adeps enim a membris ejus abſorbetur eumque meliorem reddit, & ſaporem ei communicat. Itaque ſi hædus fuiert macilentus, & in eo non fuerit niſi parum adipis renum & adipis omenti, ita ut ſe habeat erga carnem, ut unitas ad ſexaginta, carnem reſecat, (*qui ita aſſavit*) & comedit, donec perveniat ad adipem vetitum. Sic & qui femur aſſavit ſimul cum nervo reſoluto, in eo exiſtente, reſecat carnem eamque comedit, donec perveniat ad nervum, & eum tum * abjicit. Sic & ſi quis aſſat integram pecudem, nec ante removit fibras & membranas vetitas, reſecat carnem & comedit; quando vero pervenit ad rem veti-

* *Abjicit.* Simul cum exigua parte carnis, quæ eum proxime cingebat, ut monet *Baal Hatturim Jore Dea* n. 105.

veritam, reſecat eam & abjicit; nervi enim ſaporem non communicant ei rei, cui inſunt, itaque non opus eſt menſuram inire, quota pars totius ſint.

XXXIII. Non licet aſſare carnem beſtiæ mactatæ cum carne cadaveris aut beſtiæ immundæ in furno eodem, quamvis altera alteram non contingat. Si vero ita quis aſſavit, caro beſtiæ mactatæ nihilominus licita manet, licet caro vetita foret admodum pinguis, caro licita vero admodum macilenta: Odor enim non facit rem vetitam, & nihil facit rem vetitam præter ſaporem rei vetitæ.

XXXIV. Si caro cadaveris ſalita mixta fuerit carni pecudis mundæ inſulſæ, hæc fit vetita, quia ſuccus cadaveris abſorbetur a carne mactatæ pecudis, neque in tali caſu quicquam determinari poteſt vel guſtu vel menſura. Sic & ſi caro piſcis mundi ſaliti immixta fuerit carni piſcis mundi inſulſæ, facit hanc vetitam propter muriam ſuam. Si vero quod ſalitum eſt, fuerit mundum, quod autem inſulſum eſt, piſcis immundus, non vetitum fit illud, quod ſalitum erat; quod enim inſulſum eſt, abſorbet de eo, quod ſalitum eſt.

Si

Si piſcis immundus fuerit contritus cum piſce mundo, totum eſt vetitum, niſi fuerit mundus ducentis partibus major immundo.

CAPUT XVI.

De iis rebus, quæ in quacunque quantitate alii rei miſcentur, eam faciunt vetitam.

OMnes hæ menſuræ, quas dederunt ſapientes, valent, quando res vetita miſcetur licitæ rei ejusdem ſpeciei, quando res ea non eſt ejus generis res, ut vel fermentet vel condiat: vel quando non eſt res inſigniori magnitudine, quæ permaneat quanta eſt, nec miſceatur neque abſorbeatur a re licita. Si vero fuerit res fermentans, aut condiens, aut res inſigniori aliqua magnitudine, facit vetitum illud, cui immixta eſt, quantacunque etiam ſit quantitas.

II. V. g. Fermentum tritici de ablatione ſi incidit in maſſam de tritico communi, & poteſt fermentare, ecce tota maſſa cenſetur teruma infecta. Sic & condimenta de Teruma, ſi inciderint in ollam, in qua co-

quuntur

quuntur cibi communes, & habent facultatem, ut poſſint condire, & ex eodem ſunt genere ac ii, qui in olla ſunt, communes cibi, totum fit Teruma infectum, ſi vel fermentum vel condimentum ſit milleſima tantum pars totius. Sic & ſi fermentum de heterogeneis vineæ incidit in maſſam, aut condimentum de fructibus arborum præputiatarum in ollam, totum eſt uſui interdictum.

III. Res inſigniori magnitudine, quæ rebus ſpeciei ejusdem mixta eas facit vetitas, in quacunque demum quantitate eſt * ſeptem horum generum: Nuces de Perech,

* *Septem.* Autor noſter hic numerat ſeptem ſpecies, cum ipſe in *Comment. ad Orla c.* 3. *m.* 7. deciſionem fateatur non eſſe ſecundum R. Akibam: foret ergo ſecundum ſapientes omittendus *panis patrisfamilias.* Sed Majmonides illic tantum rationem ab Akiba allatam, non vero numerum improbat.

Bedan & Perech ſunt nomina locorum. *Obad. de Bartenura* affert quidem hanc derivationem non neminis, quod nuces de Perech dicantur, quæ putamen habent, quod facile frangi queat, ſed eam non approbat.

Trunci betæ. חולפות תרדין Bartenora quidem exponit de foliis creſcentibus ad latera עלין מצלעות התרדין. Sed potior penes me eſt Majmonidæ autoritas, qui hoc loco de incrementis & germi-

rech, mala punica de Bedan, dolia clauſa, trunci betæ, caules braſſicæ, cucurbita Græca, & panes patrisfamilias.

IV. V. c. Si malum punicum unum de malis punicis Bedan, quod foret fructus arboris præputiatæ, miſceretur quotcunque millibus aliorum malorum punicorum,

---

germinibus betæ exponit, quam interpretationem etiam ipſe Obadias oblitus hic ſe aliter expoſuiſſe amplectitur *Okezin c. I. m.* 4. notante etiam hanc ejus inconſtantiam *Jom Tov. ad l. c. Tr. Orla.* Ita autem Majmonides *ad Okezin* c. I. m. 4. voces חולפות התרדין exponit: הם שורשיהם אשר נשארו בקרקע ויצמחו על כן נקראו חלפות מן חליפות *Sunt radices earum, quæ relictæ in agro germinant: propterea vocantur* חלפות *a ſignificatione mutandi vel iterandi.*

Caules braſſicæ. קולסי הכרוב ſc. braſſicæ capitatæ caules, ex quibus prodeunt nervi illi braſſicam circumcingentes, ut *Majmonides* ad eundem locum *Okezin* exponit, docetque, hos truncos & caules tam braſſicæ quam betæ vocati Arabibus סלק. *Golius* in Lexico ſimpliciter exponit *betam.*

Panes patrisfamilias. Nimirum hi ſolent eſſe majores panibus piſtorum, ut Obadias Bartenora exponit. Vel ratio eſt, quæ in Miſchna datur שדרכו למנות *quia ſolent numerari*, quum piſtorum panis ſoleat appendi. Nam hæc eſt in genere cauſa, quare hæ res ſeptem in quacunque demum quantitate faciant alias res vetitas, quia ſolent ad numerum vendi, non autem ſecundum menſuram.

rum, omnia forent uſui interdicta. Sic & ſi dolium clauſum vini de vitibus præputiatis vel vinea, in qua nata ſunt heterogenea, mixtum fuerit quotcunque millibus doliorum clauſorum, omnia uſui vetita ſunt. Idem valet de reliquis ex numero harum ſeptem rerum.

V. Sic & ſegmentum cadaveris aut carnis beſtiæ, avis vel piſcis immundi, ſi mixtum fuerit quotcunque millibus ſegmentorum, omne vetitum eſt, donec auferatur illud ſegmentum. Quando hoc factum eſt, reliquum eſt menſurandum ſecundum menſuram ſexageſimam. Niſi enim auferatur res vetita, permanet neque permutatur, & res ea eſt inſignior, quæ licitæ conjuncta eſt, ita ut eam * honoris cauſa apponere poſſit iter facienti.

VI. Idem valet etiam de ſegmento carnis in lacte, vel profani animalis, quod mactatum ſit in atrio, quæ vetita ſunt verbis ſcribarum uſui, ut exponetur in tractatu

* *Honoris cauſa.* i. e. non tanquam eleemoſynam, ſed tanquam ferculum, quod honoratiori hoſpiti apponere poſſit, ut exponitur in Jore Dea n. 101. ראויה ליתן לפני אורח לכבדו *quæ apta eſt, ut apponatur viatori ad honorandum eum.*

ctatu Schechita; ejuſmodi enim ſegmentum aliis immixtum in quacunque quantitate, ea facit vetita, donec auferantur. Sic & nervus reſolutus, ſi coctus fuerit cum aliis nervis aut cum carne, ſi is qui comeſturus eſt carnem, eum novit, auferri poteſt, & ſic reliquum eſt licitum. Nervi enim ſaporem non impertiunt. Si vero non novit eum, totum eſt vetitum; nervus enim eſt res quædam peculiaris, ecce eſt aliquid ſpectabile, & vetitum facit in quacunque quantitate.

VII. Sic & quodcunque animal eſt ſpectabile & non negligitur. Itaque bos lapidibus obrutus, ſi mixtus fuerit mille bubus, vitula decollata mille vitulis, avis leproſi mactata mille avibus, primogenitus aſini mille aſinis, omnes ſunt uſui interdicti. Cæteræ vero res etiam, quæ numerari ſolent, ſecundum hanc menſuram, quam memoravimus, judicantur.

VIII. V. g. Faſciculus olerum de heterogeneis vineæ, ſi immixtus fuerit ducentis faſciculis olerum aliorum, aut pomum citreum arboris præputiatæ, ſi immixtum fuerit ducentis pomis citreis aliis, omnia ſunt licita: Idem valet de ſimilibus.

IX. Mihi

IX. Mihi videtur, quod id, quod dictum eſt de re ſpectabili, ita ſit intelligendum, ut ea res ſit ſpectabilis certo aliquo loco, ut nuces de Perech & mala punica de Bedan in terra Iſraëlis illis temporibus; ejusmodi enim fructus in quacunque quantitate vetitum facit illud, cui immiſcetur, quia ſpectabilis cenſetur eo loco & eo tempore. Hæ autem ſpecies ſeptem tantum eo reſpectu commemorantur, quia in quacunque quantitate mixtæ rem, cui miſcentur, faciunt vetitam, quocunque demum loco. De ſimilibus idem valet aliis locis. Id vero facile patet, quod omnia hæc interdicta ſint ex verbis ſcribarum.

X. Si malum punicum unum de hiſce mixtis, quorum facta eſt mentio, incidit in duo alia mala punica de Bedan, & de tribus his unum ceciderit inter alia mala punica, ecce reliqua illa licita manent, quia malum punicum de prima mixtura propter multitudinem eorum, quibus mixtum eſt, negligitur. Si vero de malis punicis illis prima vice inter ſe mixtis (*ut dixi*) unum inciderit in mille alia, omnia ſunt vetita, neque hoc valet, quod propter

multitudinem, cui immiſcetur, aliquid negligatur, niſi eo reſpectu, ut ſolvantur dubia, (*i.e.* ne *res dubiæ in infinitum facere poſſint aliquid vetitum*,) ſi quid enim de illis ſecunda vice mixtis incidit in locum alium, non facit aliquid vetitum.

XI. Si nuces illæ fuerint ruptæ, quæ vetitæ factæ ſunt, quia una nux de arbore præputiata illis mixta eſt, aut diſſecta fuerint mala punica, aut aperta dolia, aut diſſectæ cucurbitæ, aut panes fracti, poſtquam facti ſunt vetiti, tum dimenſio ea adhibetur, ut vetitum ducenties tanto rei licitæ mixtum negligatur. Idem valet de ſegmento cadaveris, quod piſtillo contuſum eſt inter alia ſegmenta, ut fiat unum quantum, quod ad menſuram ſexageſimam examinatur.

XII. Vetitum autem eſt rumpere nuces, diſſecare mala punica, aperire dolia, poſtquam facta ſunt vetita, eo fine, ut negligatur id, quod vetitum eſt, utpote pars ducenties minor eo, quod licitum eſt. Non enim data opera id agendum eſt, ut res vetita negligi poſſit; ſi quis autem ita fecerit, pœna afficiendus eſt, & ei interdicendum, ut expoſuimus.

XIII. Fermentum de heterogeneis vineæ & de Teruma, ſi incidit ſimul in maſſam, & neutrum tantum eſt, ut poſſit per ſe fermentare, ſi autem inter ſe conjunguntur, poſſunt fermentare maſſam, vetita eſt maſſa Iſraëlitæ, licita vero ſacerdoti. Sic & ſi condimentum de Teruma & de heterogeneis vineæ inciderit in ollam, neutrumque tantum eſt, ut ſolum condire queat, conjuncta vero condire poſſunt id, quod in ea olla coquitur, vetitum id eſt Iſraëlitæ, quia res ipſi vetita condivit, licitum vero ſacerdotibus.

XIV. Condimenta, quæ habent duo vel tria diſtincta nomina, ſed ſunt ſpeciei unius, aut trium ſpecierum, quæ habent idem nomen, miſcentur & reſpectu condimenti, & interdicti, & fermentationis. v. c. Fermentum tritici & fermentum hordei, quia habent nomen unum, non ſpectari poſſunt ut res mixta rei diverſæ ſpeciei, ſed ut res ejusdem ſpeciei, itaque inter ſe conjunguntur ad menſuram, v. c. ad fermentandum maſſam triticeam, ſi in utroque ſapor fuerit tritici, aut ad fermentandum maſſam hordaceam, ſi in utroque fuerit ſapor hordei.

XV. Sic & tria diſtincta nomina ejusdem ſpeciei, v. c. Apium fluviatile, apium pratenſe, & apium hortenſe, quamvis quodlibet eorum habeat proprium ſuum nomen, quia tamen ſunt eadem ſpecies, accenſentur ſibi invicem ut condimentum.

XVI. Si in maſſam jam fermentatam incidit fermentum Terumæ, aut fermentum de heterogeneis vineæ, ſic & ſi in ollam jam inſtructam ſuis condimentis incidunt condimenta de Teruma, aut arbore præputiata, aut heterogeneis vineæ, tum ſi fermenti tantum eſt, ut poſſit fermentare maſſam, ſiquidem illa foret infermentata, aut condimenti tantum, ut poſſet condire, quod eſt in olla, ſiquidem foret inconditum, ecce totum veritum eſt: Si vero non tantum eſt, ut poſſit vel condire vel fermentare, menſurantur ita, ut propter parvitatem ſuam, quod admixtum eſt, negligatur, Teruma quidem, ſi id, cui mixtum eſt, centies ſit plus ipſa, fructus vero arboris præputiatæ & heterogenea vineæ, ſi id, cui mixta ſunt, ducenties plus iis eſt.

XVII. Teruma etiam accenſeri poteſt reliquo quanto, ut negligantur immixti fructus

fructus arboris præputiatæ & heterogenea vineæ, v. g. Si ſatum Terumæ inciderit in nonaginta novem ſata fructuum communium, & deinde inciderit in totam mixturam dimidium ſatum heterogeneorum vineæ, vel fructuum arboris præputiatæ, illic non ſpectatur interdictum fructuum arboris præputiatæ vel heterogeneorum vineæ, negliguntur enim ut pars ducentis aliis immixta, quamvis pars illarum ducentarum ſit Teruma.

XVIII. Sic & fructus arboris præputiatæ & heterogenea vineæ faciunt, ut negligatur immixta Teruma, v. c. ſi centum ſata fructuum arboris præputiatæ vel heterogeneorum vineæ incidunt in vicies mille ſata fructuum communium, ita ut tota mixtura conſtet ſatis vicies mille & centum, & deinde incidant tot ſata Terumæ, ut ſingulis ducentis ejus mixturæ miſceatur unum ſatum Terumæ, ecce totum foret licitum; Teruma enim, quando ſe habet ad id, cui miſcetur, ut unitas ad centenarium numerum, negligitur, quamvis pars illarum centum, quæ faciunt, ut negligatur, ſint heterogenea vineæ vel fructus arboris præputiatæ.

XIX. Sic & fructus arboris præputiatæ faciunt, ut negligantur heterogenea vineæ, & heterogenea vineæ, ut negligantur fructus arboris præputiatæ, & heterogenea vineæ, ut negligantur alia heterogenea vineæ, & fructus arboris præputiatæ, ut negligantur alii fructus arboris præputiatæ, v. g. ſi inciderint ducenta ſata fructuum arboris præputiatæ, aut heterogeneorum vineæ in quadragies millia ſata fructuum communium. Et poſtea in ſingula ducenta ſata, ſatum fructuum arboris præputiatæ, aut heterogeneorum vineæ, totum eſt licitum. Quando enim vetitum illud, quod prima vice incidit, factum eſt pars negligenda, tota maſſa habet eundem reſpectum, ac cibi communes liciti.

XX. Si veſtis quædam tincta eſt corticibus arboris præputiatæ, comburatur. Si vero ille cortex mixtus eſt aliis rebus, negligitur, ſi habet eam proportionem, quam unitas habet ad numerum ducenarium. Sic & cibus elixus ad (*ignem de*) corticibus arborum præputiatarum, aut panis piſtus coctusque ad cortices arborum præputiatarum, aut heterogenea vineæ, comburatur, tam cibus elixus quam panis.

panis. Fruitio enim harum rerum vetitarum facile in iis agnoſci poteſt. Si vero hæc alimenta ignis aliis mixta fuerint, negliguntur, ſi habent ad ea proportionem, quam unitas ad numerum ducenarium.

XXI. Sic quoque ſi quis panno intexuit quantum eſt latitudo unius * digiti tinctum (*fructu vel cortice*) arboris præputiatæ, nec ei conſtat, quo loco panni ſit ea particula, negligitur, ſi ad reliquum pannum ſe habet, ut unitas ad ducenta. Si mixta ſunt ſigna (*i. e. colores*) de arbore præputiata & de licitis materiis, negliguntur, quando habent vetita eam ad licita proportionem, quam unitas ad ducenta. Aqua enim tincturæ in aqua tincturæ alia, ea proportione miſceri poteſt, ut negligatur.

XXII. Si quis furnum calefecit ſuccenſis corticibus præputiatarum arborum aut

S 5 here-

* *Digiti latitudinem* מלא הסיט Quanta ſit hæc quantitas, docet *Majmon. comm. ad Orla c.* 3. *m.* 2. nimirum eſſe ſextam partem ſpithamæ f. סרת aliter quidem *Obadias de Bartenora*, nempe eſſe eam diſtantiam, quæ eſt inter digitum medium & indicem, quousque quis illos diſtendere valet. Sed Majmonidem autorem ſequi malo, cum ille aſſerat ſuam expoſitionem eſſe antiquam, & cum veterum ſententia convenire.

heterogeneis vineæ, ſive novus ſit ſive vetus, frigeſcat. Et poſtea caleſiat lignis licitis; ſi vero quis, antequam refrixerit, in eo coxerit vel panem vel cibum alium, ecce ille vetitus eſt uſui. Eſt enim effectus ad meliorationem de prohibitis lignis in pane vel cibo illo. Si quis vero everrit omnem ignem, & poſtea coquit aut elixat calore furni (*reſidua*) ecce illud licitum eſt; nam ligna vetita remota ſunt.

XXIII. Scutellæ, & pocula, & ollæ, & vaſcula a figulo cocta igne corticum præputiatæ arboris, uſui ſunt interdicta: Quia res uſui interdicta ad ea faciendum nova, fuit adhibita.

XXIV. Panis coctus prunis de lignis arborum præputiatarum eſt licitus. Quando enim redacta ſunt in prunas, exſpiravit interdictum illorum, quamvis adhuc habeant facultatem urendi. Si quis, quod eſt in olla, coquit partim corticibus (*vel ſarmentis*) arboris præputiatæ, partim heterogeneis vineæ, partim lignis licitis, ecce cibus is vetitus eſt, quamvis & hoc & illud genus lignorum cooperetur, quia dum coquitur cibus lignis vetitis, nondum admota ſunt ligna licita, & ſic pars coctu-

coćturæ facta eſt lignis licitis, pars autem lignis vetitis.

XXV. Planta præputiata, ſi aliis plantis immixta fuerit, & areola heterogeneorum vineæ aliis areolis, re integra poteſt de quacunque aliquid colligi. Et ſi planta eſt inter ducentas plantas, aut areola inter ducentas areolas, ecce omne illud, quod colligitur, eſt licitum; Si vero fuerit inter pauciores, eſt vetitum. Quare ergo permiſerunt colligere re integra, cum tamen videatur æquum & juſtum, ut laboret & educat plantam vetitam vel areolam vetitam: Quia probabile eſt, neminem facile redditurum eſſe vineam ſuam vetitam plantæ unius vel unius areolæ gratia, ſed potius ſi eam noſſet ſponte eam educturum.

XXVI. Qui coagulat caſeum ſucco groſſulorum arboris præputiatæ aut ventriculo animalis ſacrificati idolo, aut aceto facto de vino gentilium, ejus caſeus uſui interdictus eſt, quamvis ſit ſpecies alii ſpeciei immixta, & quamvis ſit in quacunque quantitate. Ecce enim res vetita agnoſci poteſt, quia fecit, ut ſit caſeus.

XXVII. Fructus arborum præputiatarum,

rum, & heterogeneorum vineæ ſunt comburendi, & liquores inde expreſſi, quia comburi nequeunt, ſunt defodiendi.

XXVIII. Si vinum idolis libatum miſcetur alii vino, vetitum facit illud, quamcunque etiam habeat proportionem, ut diximus. Id intelligendum eſt eo caſu, quando effunditur vinum licitum ſuper vini libaminis tantum, quantum madefacere poteſt manus. Si quis vero affundit vinum libaminis ex lagena parva in lacum vini, quamvis affundat toto die, ſemper, antequam novum aliquid accedat, illud, quod ante affuſum eſt, cenſetur eſſe factum pars negligenda. Si vero ex dolio affundit ſive de eo, quod licitum eſt, in vetitum, ſive de vetito in licitum, omne eſt vetitum; columna enim ea liquoris, quæ de dolio deſcendit, eſt magna.

XXIX. Si ſimplex vinum gentilium mixtum eſt vino Iſraëlitæ, ecce illud vetitum eſt potui, in quacunque etiam quantitate miſceatur, & omne vendendum eſt ethnicis. Accipere autem oportet pecuniam, quanti venditum eſt illud vetitum vinum, quod fuerat licito immixtum, & projicere in mare ſalſum, reliqua autem pecunia

uti

uti licet. Sic & ſi dolium vini libaminis immixtum fuerit aliis doliis, omnia vetita ſunt potui, uſui vero licita, & quando omne illud vinum venditum eſt gentilibus, projiciendum eſt tantum pecuniæ, quanti conſtitit illud dolium, in mare ſalſum: Idem valet de dolio ſimplicis vini gentilium.

XXX. Si aqua incidit in vinum, aut vinum in aquam, judicium faciendum eſt ex eo reſpectu, num vinum aquæ ſuum ſaporem communicaverit. Alterum enim mixtum eſt alteri diverſæ ſpeciei. Id eo caſu valet, quando liquor licitus incidit in liquorem vetitum. Si vero incidit liquor vetitus in liquorem licitum, quod primum incidit, primum negligitur, (*& ſic quod ſequitur, etiam negligitur.*) Id valet, ſi liquor ille affunditur de lagena parva, unde aliquid effunditur & deſcendit parva proportione. Quomodo autem aqua poteſt eſſe vetita? Si vel ipſa adoratur, vel ad cultum idololatricum adhibetur.

XXXI. Si in ciſternam vini incidit primum cyathus aquæ, & poſtea incidit vinum libaminis, non habetur reſpectus ad vinum illud licitum, ſed reſpiciendum eſt ad

ad proportionem, quam habet aqua, quæ incidit, ad vinum libaminis, quod incidit, & num tantum aquæ adſit, ut poſſit ſaporem vini libaminis illius omnino diluere. Si enim tanto plus aquæ adeſt, negligitur vinum libaminis propter ſuam parvitatem, totumque fit licitum.

XXXII. Si vinum libaminis incidit in uvas, detergeri poſſunt, quo facto iis veſci licet, ſi vero fractæ fuerint uvæ, ſive vinum ſit vetus ſive novum, ſi ſaporem ſuum uvis communicavit, uvæ ſunt vetitæ uſui, ſi non communicavit, ſunt licitæ etiam eſui.

XXXIII. Si incidit in ficus, ecce illæ ſunt licitæ, quia vinum deteriorem reddit ſaporem ficuum.

XXXIV. Si vinum libaminis incidit in triticum, ecce illud vetitum fit eſui & licitum uſui. Nec vendere illud licet ethnico, ne ille iterum vendat Iſraëlitæ; Quid ergo faciendum eſt? Molendum eſt illud triticum, & pinſendus de eo panis, vendendusque gentilibus, non tamen vidente hoc ullo Iſraëlita, ne illum Iſraëlita ullus iterum emat ab illo ethnico. Quare autem non exploratur triticum, an in eo

vini

vini ſapor reperiatur, quia triticum abſorbet vinum, & vinum ab eo combibitur.

XXXV. Si vinum libaminis factum eſt acidum, & incidit in acetum zythi, facit illud vetitum, in quacunque etiam quantitate ei miſceatur, incidit enim in id, quod eſt ejusdem ſpeciei; utrumque videlicet eſt acetum. Vinum autem mixtum aceto, ſive acetum inciderit in vinum, ſive vinum in acetum, menſurandum eſt, an alteri ſuum ſaporem communicaverit.

CAPUT XVII.

De ollis & vaſis gentilium.

SI in olla quadam cocta fuit caro cadaveris aut caro abominabilium & reptilium; in eadem olla vetitum eſt eodem die coquere carnem beſtiæ legitime mactatæ; Si quis vero aliam ſpeciem cibi coxit, ea vetita eſt, ſi (*quod ante fuerat coctum*) ſuum ei ſaporem communicavit.

II. Lex non niſi eodem die, quo quid vetitum in olla coctum eſt, ea uti prohibuit, quia tum nondum corruptus eſt

ſapor

ſapor pinguedinis abſorptæ ab olla. Sed ex verbis ſcribarum vetitum eſt unquam uti illa olla. Propterea nunquam omnino a gentilibus emuntur vaſa teſtacea vetera, quibus uſi fuerunt ad cibos calidos, ut ſcutellæ & ollæ, quamvis ea plumbata ſint. Si vero quis ea ab illis accepit, in iisque coxit, inde a die ſecundo liciti ſunt cibi, qui in iis coquuntur.

III. Si quis a gentilibus accipit vaſa menſæ inſervientia, vel metallica vel vitrea, quibus omnino non uſus eſt gentilis, ea abluit aqua ablutionis, & ſic licitum eſt de iis cibum vel potum capere. Vaſa, quibus uſus eſt gentilis ad frigida, ut pocula, & ampullæ, & cyathi, detergenda ſunt & abluenda, & deinde ſunt licita. Vaſa, quibus uſus eſt ad calida, ut ahena, cucumia, lebetes, purganda ſunt & eluenda, & tum ſunt licita. Vaſa, quibus uſus eſt ad ignem, ut verua & crates, candeſcere facit igne Iſraëlita, donec cortex exterior decidat & tum abluit, & licita ſunt.

IV. Quomodo autem inſtituenda eſt illa purgatio? Imponit purgans ahenum minus intra majus, deinde implet aqua, donec aqua ſuperfluens tegat minus ahenum,

num, poſtea ſubjecto igne facit, ut aqua inſigniter bulliat. Si autem purgandum ſit ahenum majus, circumdat labrum ipſius cinctura de maſſa farinacea vel de argilla, deinde ahenum implet aqua, ita ut aqua ſuperet labrum aheni, tum ſubjecto igne efficit ut bulliat. Si quis autem ullo hujusmodi vaſorum uſus eſt, antequam excoxerit aut igniverit aut baptizaverit, licitum eſt: Omnis enim adeps qui in iis abſorptus eſt ſaporem reddit deteriorem, ut expoſui.

V. Baptiſmus ille, quo baptiſantur vaſa cibo inſervientia a gentilibus accepta, ita ut poſtea licite adhiberi poſſint ad cibum & potum, non habet reſpectum ad munditiem aut immunditiem legalem, ſed eſt tantum ex verbis ſcribarum: Indicium vero ejus eſſe poteſt dictum Num. XXX. 23. *Quicquid fert ignem transmitte per ignem, ut mundum ſit.* Traditione autem didicerunt quod non loquatur niſi de mundatione eorum a coctura gentilium, non autem ab immunditia (*legali.*) Nulla enim eſt immunditia Legalis quæ removeatur per ignem; ſed omnium immundorum immundities aufertur per lavationem, & immunditia contracta tactu mortui per ad-

ſperſionem & lavationem, & ignis omnino non adhibetur, niſi ubi aliquid prohibitum eſt propter coćturam gentilium. Quia vero l. c. ſcriptum eſt: *ut mundum ſit*, id ita explicant ſapientes, quod addatur vox *mundum*, ut intelligatur poſtquam transmiſſum eſt per ignem licite illud adhiberi poſſe, quamvis in eo cibum coxerint ethnici.

VI. Ad ablutionem non niſi vaſa metallica cibaria ab ethnicis empta tenentur. Si vero quis mutuum ſumit ab ethnico, aut pignori accipit ab ethnico, vas metallicum, abſtergit, aut aqua fervente abluit, aut candefacit, nec opus eſt baptizare: Sic nec opus eſt baptizare vaſa teſtacea: Si vero ſunt plumbata, eodem loco habentur acſi ex metallo facta eſſent & ſunt baptizanda.

VII. Si quis cultrum emit ab ethnico, facit eum candentem igne, aut expolit illum truſatili cote, qualis ad acuendos cultros adhiberi ſolet. Si vero culter eſt levis & politus & ſine ferrugine, ſufficit ut eum infigat terræ duriori decies, & ſic eo uti poteſt ad comedendum cibos frigidos. Si vero culter habet maculas ferruginis, aut politus quidem eſt, ſed Judæus eo vult uti ad comedendum cibos calidos, aut ad mactan-

ctandum, candentem eum reddit aut totum expolit. Si vero eo ad mactandum uſus eſt, antequam eum mundaverit, deterget locum mactationis, ſi vero omnino reſecat carnem loci mactationis, illud eſt laudabile.

VIII. Cultro quo quis uſus eſt ad mactandum diſcerptum, non licet iterum uti ad mactandum, niſi ablutus fuerit aqua frigida, aut deterſus veteramentis veſtium.

IX. Sunt res aliæ quas prohibuerunt ſapientes, & quamvis nullum interdicti fundamentum in ſcriptura extet, iis uti interdixerunt, ut abſtineatur a gentilibus nec Iſrael iis miſceatur aut ad affinitatem eorum perveniat. Cujusmodi ſunt ſequentia: Prohibuerunt bibere cum ethnicis, etiam ubi nulla ſuſpicio eſt de vino libaminis. Prohibuerunt quoque comedere panem eorum & quod coxerunt, ibi quoque ubi nulla ſuſpicio eſt de mixtura rerum abominandarum.

X. Sic ne quis bibat in conſeſſu ethnicorum, etiam ſi fuerit vinum coctum quod vetitum non eſt, aut ſi biberit de vaſe ſuo proprio. Si vero in conſeſſu plures fuerint Iſraelitæ, licitum eſt. Item, ne bibat quis zythum quem faciunt gentiles de palmis & ficis, & ſimilibus, qui tamen non niſi eo loco ubi venditur vetitus eſt. Si quis vero Iſraelita ejusmodi zythum affert in ædes ſuas ibique bibit, id licet, quia fundamentum interdicti eſt, ne cum Ethnico cibum capiat.

XI. Licet ubique locorum bibere vinum de malis communibus & punicis expreſſum, nullo

enim interdicto id vetitum invenimus. Vinum autem paſſularum eſt ſimile alii vino & libatur.

XII. Quamvis prohibuerint panem gentilium, ſunt loca ubi minus ſevere id obſervant, & emunt panem a piſtore ethnico ubi nullus piſtor Iſraelita adeſt, ut & in agro, quia illic tempus urget. Nemo autem eſt qui facilis ſit in permittendo panem patris familias, quia fundamentum interdicti eſt metus affinitatis, qui autem panem patris familias comedit, facile cum eo prandebit.

XIII. Si ethnicus ignem in furno accendit & Iſraelita panem coxit, aut accendit Iſraelita & coxit ethnicus, aut ethnicus & accendit & coxit, ſed Iſraelita acceſſit ignemque ſuſcitavit, vel panem igni admovit, quia ſociam operam præſtitit circa panem, panis licitus eſt. Si vel unicam ſchidiam ligni injeciſſet in furnum, omne quod in furno eſt licitum feciſſet. Nullo enim alio fine hoc fit, niſi ut agnoſcatur panem gentilium eſſe vetitum. Si ethnicus nobis coxit vinum, aut lac, aut mel, aut mala Cydonia, aut quicquam quod comedi ſolet crudum, ecce illud licitum eſt. Interdictum enim non valet niſi de ea re, quæ non ſolet comedi cruda, ut ſunt: caro, piſcis inſulſus, ovum, olera. Ea ſi ethnicus coxit a principio ad finem non adjuvante Iſraelita cocturam, ecce ea vetita ſunt ob cocturam ethnici.

XV. Hæc valent de ea re quæ etiam menſæ Regum adhiberi poteſt, ut obſonium, ut ſunt: caro, ova, piſcis &c. Res autem quæ menſæ Regiæ ſervire nequit ut obſonium, ut lupini a gentilibus

tilibus elixi quamvis non ſoleant comedi crudi, veſci tamen iis licet. Idem valet de ceteris. Fundamentum enim interdicti eſt metus affinitatis, ne nos ad convivia invitent gentiles. Sed ad veſcendum re quæ menſis Regum non infertur, nemo ſolet quenquam invitare.

XVI. Piſces parvi ſale conditi vel ab ethnico vel ab Iſraelita cenſentur ut ſemicocti. Et ſi poſtea eos aſſat ethnicus, liciti ſunt. Et ſic quicquid Iſraelita paululum coxit, ſive ejus coctura fuerit prima ſive ultima, licitum eſt. Itaque ſi ethnicus collocat carnem aut ollam ad ignem, & Iſraelita vertit carnem, aut agitat ollam, aut ſi Iſraelita igni admovit ollam, ethnicus vero cocturam abſolvit, caro eſt licita.

XVII. Piſcis quem ſale conſperſit ethnicus, & fructus quos infumando aptos eſui reddidit, liciti ſunt. Quod enim ſale conditum eſt, in hoc interdicto non eſt ſimile elixo, & quod infumatum eſt, non eſt par cocto; Sic & ſpicæ toſtæ gentilium ſunt licitæ. nemo enim invitare ſolet quenquam ad prandium de ſpicis toſtis.

XIIX. Fabæ & piſa & lentes & ſimilia quæ gentiles coquunt & vendunt, vetita ſunt nomine eo quod cocta ſint a gentilibus eo loco, ubi cupediarum nomine menſæ regiæ inferuntur. Et nomine pollutionis gentilium omni loco, quia forte ea coxerunt cum carne, aut in eadem olla qua carnem, ſic & lagana frixa in oleo a gentilibus ſunt vetita, etiam nomine pollutionis gentilium.

XIX. Si Ethnicus quid coxit ſine intentione coquendi, illud eſt licitum. Ut ſi gentilis ignem* accendit in ſtagno ut exurat gramen ejus, & ſic in eo aſſantur locuſtæ, ecce eæ ſunt licitæ, etiam ubi menſæ regiæ nomine cupediarum inferuntur. Sic & ſi ethnicus uſtulavit caput animalis mactati ad removendum pilos, licet comedere de partibus toroſis, imo & de ſummis auriculis quæ illa uſtulatione aſſatæ ſunt.

XX. Palmulæ** ab ethnico coctæ ſi initio fuerunt dulces, ſunt licitæ, ſi amaræ ſed coquendo mitigatæ, vetitæ. Si nec dulces nec amaræ, ſunt vetitæ.

XXI. Lentes toſtæ ſive ſubactæ ſint aqua ſive aceto, ſunt vetitæ. Sed ſpicæ toſtæ tritici vel hordei, ſubactæ aqua ſunt licitæ.

XXII. Oleum*** gentilium eſt licitum, ſi quis illud prohibet, ille perſiſtit in gravi peccato. Rebellis enim eſt adv. Synedrium quod permiſit illud: Imo & oleum ſi coctum eſt, manet licitum: nec prohibetur neque propter cocturam gentilium. ecce enim etiam crudum adhibetur; nec propter pollutionem gentilium. ecce enim caro corrumpit oleum & facit ut fœteat.

XXIII. Sic & eadem de cauſa licitum eſt mel gentilium quod coquunt & de eo faciunt dulciaria.

XXIV. Fraces dactylorum a gentilibus aquæ calida calefactæ, vel in aheno majori vel minori ſunt

*) **) ***) Conf. Avoda Sara c. II. quæque illic erudite commentatus eſt G. E. Edzardus.

ſunt licitæ, quia ſaporem reddunt deteriorem. Et ſic condita quibus non ſolet miſceri acetum aut vinum, & olivæ conditæ & locuſtæ quæ venduntur e cella ſunt licitæ. Sed locuſtæ aut condita quibus adſperſum eſt vinum, prohibentur, ſic & ſi iis adſpergitur acetum, etiam acetum de zytho.

XXV. Quare prohibuerunt acetum zythi gentilium? quia projiciunt in illud fæces vini, itaque ſi de cella promitur, licitum eſt.

XXVI. Muria ubi ei ſolent miſcere vinum vetita eſt, ſi vero vinum muria pretioſius eſt, licita. Ita docent de omni re ubi verendum eſt ne gentilis ei miſcuerit rem vetitam. Nemo enim rem pretioſam miſcet vili, quia ſic jacturam facit, ſed vilem miſcet pretioſæ ut lucretur.

XXVII. Si parvulus * quis comedit aliquem de cibis vetitis aut ſabbatho facit opus, ſynedrium non obligatur ad impediendum eum: nondum enim ſatis bene utitur ratione: Id intelligendum eſt de eo caſu, quando proprio auſu id facit. Si vero quis ei manibus præbet cibum vetitum, male agit, ſi vel foret cibus tantum verbis ſcribarum vetitus, & ſic vetitum eſt aſſuefacere puerum profanationi ſabbati aut feſtorum, etiam in iis rebus quæ propter quietem ſunt imperatæ.

XXIIX. Quamvis ſynedrium non juſſum ſit impedire puerulum, juſſus eſt tamen ejus Pater eum objurgare & impedire, ut eum aſſuefaciat ſanctitati ut dicitur *Prov. XXII. 6. Inſtrue puerum pro ratione viæ ipſius.* XXIX.

*) *Parvulus.* Conf. Autoris *Tract. Schabbath c.* 24.

XXIX. Sapientes prohibuerunt cibos & potus a quibus plerique homines abhorrent, ut cibos & potus quibus mixtus eſt vomitus & excrementum, & humor putrefactus &c. Sic vetuerunt etiam ad comedendum & bibendum uti vaſis immundis quæ mæſtitia afficiunt animum, ut vaſis latrinæ, itemque vaſis vitreis quibus chirurgi excipiunt ſanguinem & ſimilibus.

XXX. Sic & prohibuerunt cibum capere manibus ſordidis & illotis aut ex vaſis ſordidis. Hæc enim omnia comprehenduntur illo interdicto Lev. XI. 43. XX. 25. *ne abominabiles faciatis vosmetipſos.* & ſi quis contra fecerit, plagis ob rebellionem afficitur.

XXXI. Ita & vetitum eſt diu detinere excrementa ſua & urinam ſuam; Si quis vero diu detinet, ille in eorum eſt numero qui *ſe faciunt abominabiles.* Ultra ſibimet infert graviſſimos morbos, reusque eſt ejus rei ipſe. Sed oportet ſe quemque adſuefacere ad ſtata tempora, ne præſentibus aliis urgeatur & *faciat ſemet abominabilem.*

XXXII. Quicunque circa has res cautus eſt, ſibimet majorem ſanctitatem & puritatem acquirit, & ſemet expolit mundatque coram Deo ſancto Benedicto, quemadmodum dicitur: *Sanctificate vos, & ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Lev. XI. 44. XX. 7.

ברו״מוכ.

VA1 1526940.

Digitized by Google

1